DE

CONSTANTINO IMPERATORE

PONTIFICE MAXIMO

DISSERTATIONEM

SCRIPSIT

B. AUBÉ.

LUTETIÆ,

Apud F. DIDOT fratres et filios, Via Jacob, 56.

Apud AUG. DURAND, Via dicta des Grès, 7.

1861

DE

CONSTANTINO IMPERATORE

PONTIFICE MAXIMO.

AURELIÆ, EX TYPIS G. JACOB, VIA BOURGOGNE, 220.

DE

CONSTANTINO IMPERATORE

PONTIFICE MAXIMO,

DISSERTATIONEM

SCRIPSIT

B. AUBÉ.

LUTETIÆ,

Apud F. DIDOT fratres et filios,
Via Jacob, 56.

Apud AUG. DURAND,
Via dicta des Grés, 7.

1861

ERUDITISSIMO VIRO

EIDEMQUE AMICISSIMO

NOEL DES VERGERS,

IN ACADEMIAM INSCRIPTIONUM COOPTATO.

D. D.

B. AUBÉ.

DE

CONSTANTINO IMPERATORE

PONTIFICE MAXIMO.

PROŒMIUM.

Quid novissime sævierint in Christianos Romani Imperatores, quid contra iisdem ab edicto Nicomediensi usque ad edictum Mediolanense concesserint.

(303-313.)

Nec sponte sua, nec civili, quo in omni alia re uti solebat, temperamento egit Diocletianus Augustus, cum solemnibus edictis et gravius repetitis (1) christianam religionem abolendam sanxit, primoque Palatinos militesque ab aula regia arceri, qui ejurare nollent (2), mox gliscente invidia et nefarii

(1) « Edictum generale contra christianos Nicomediæ vulgatum est die sexto kalendas martias anni 303 A. D. Jam antea, sacrificare universos qui erant in palatio Diocletianus jusserat, et in eos, si detrectassent verberibus animadverti, ut loquitur Lactantius (*De mortibus persecutorum*, ch. 10). Tria edicta graviora in christianos, edictum Nicomediense secuta sunt. » (EUSEBIUS, *Hist. eccles.*, VIII passim.)

(2) « Satis esse si Palatinos tantum ac milites ab ea religione prohiberet. » (LACTANTIUS, *De mort. persecut.*, ch. 11.)

Cæsaris Galerii dolis (1), sacros christianorum libros comburi, Ecclesias exscindi, et citra mortem puniri vexarique christianos, deinde ipsa morte proposita et exquisitissimis suppliciis ad sacrificia et ad veterem, ut aiebant, disciplinam, cogi jussit (2). Humanæ enim consuetudinis peritum principem non fallebat adolescere et augeri istius generis cœtus, dum reprimuntur, labi contra plerumque et per se sensim exolescere dum negliguntur et in contemptu habentur; et, quod ad christianos attinet, *solere eos mori libenter*, non ignorabat (3). Incertum igitur quid res postularet et fluctuans ingenium, ferus et superstitiosus exacuit Galerius, cum hæsitanti vivide objiceret, ad eum jam numerum crevisse christianos ut in Republica corpus civile constarent hominum a civitatis Romanæ moribus et institutis alienorum, nihil aliud quam sacrosanctæ majorum disciplinæ contemptum profitentium, novasque res, jam non surdis precibus, sed palam et votis audacibus et in medium prolatis prosequentium : denique jam tempus esse quo novam hanc et exitiabilem conjurationem, Augustorum salubris providentia everteret, cui nisi obviam irent, in discrimen dudum adductam Rem Romanam perditum iri (4). His et talibus rationibus, in quibus vera fictaque solerter miscebantur, quamvis reluctantem senem in violentiam Galerius traxit.

Non operæ pretium est commemorare quanta fuerit Chris-

(1) « Ut Diocletianum ad propositum crudelissimæ persecutionis impelleret occultis ministris palatio subjecit incendium. » (LACTANT., *De mort. persecut.*, ch. 14.)

(2) Eos pœnarum gradus fuisse ex edictis apparet. Odium iraque dominorum eo gravius incendebantur quo constantior liberiorque christianorum contumacia videbatur.

(3) « Ipsa sunt ex Lactantio (*De mort. persecut.*, ch. 11) Diocletiani verba, et idem scriptor haud semel declarat hunc Augustum diu præcipiti Galerii furori repugnasse. Ostendebat quam perniciosum esset inquietari orbem terræ, fundi sanguinem multorum. » (LACTANT., *ibid.*)

(4) Has, ut mihi quidem videtur, rationes, et præsertim utilitatis publicæ speciem prætenderunt christiani nominis osores, in illo quod de christianis concilio Nicomediæ sedit, ut testatur Lactantius (*De mort. persecut.*, ch. 11).

tianorum adversus judices vel potius carnifices constantia, quam multi fidem suam in Christum sanguine suo testati fuerint, quibus denique suppliciis invictas animas projecerint. Jam Eusebium Cæsariensem rerum ecclesiasticarum hujus ævi scriptorem perlegat et antiqua martyrum acta, quisquis multiplicem pernoscere voluerit hominum in hominibus necandis solertiam. Nobis satis erit si obiter animadverterimus quam mutati eo tempore essent gentilium erga christianos animi. Scilicet ii qui antea, si Tiberis extra ripas effunderetur, si terræ motus accidissent, si classis frumentaria ventos contrarios passa expectaretur, si qua fames pestis ve sæviret, in foris et amphitheatris, *tolle atheos* vel *christianos ad leones*, certatim clamitabant, nunc misericordia moti, nimiam dominorum in homines innocentes et nullius domestici aut publici sceleris compertos, sævitiam incusabant, seu ingenia hominum mitiora erant, humanitasque, et, ut Græco vocabulo utar, φιλανθρωπία, vulgi animos in melius converterat, seu ingens periclitantium numerus ferum vulgus emolliebat. Mutata in hunc modum civium studia ipse Eusebius haud semel notat (1) et Acta martyrum præcipueque Tarachi et ejus sociorum plane declarant (2).

Nec tantum in christianos vi aperta sævitum est. At, tanquam populi misericordiam et murmura restinguere, et ipsam infamare doctrinam, dum doctrinæ assectatores suppliciis obruerentur, opus esse ducerent, philosophi reperti qui veteres ritus tuerentur et christianorum doctrinæ, velut anilibus ineptiis, illuderent (3); falsis insuper additis de morte Christi commentariis, quibus vita et memoria christianæ doctrinæ con-

(1) Euseb., *De Mart. Palest.*, ch. 9.

(2) « Et cum introducti fuissent, in medio amphitheatri projecti sunt et factus est timor magnus et murmur populi dicentium : injustus judex qui sic judicavit. Nam et multi spectaculum dimiserunt atque contemnentes ibant, murmurantes adversus Maximum (præsidem). » (Ruinart, *Acta Martyrum sincera et selecta*, p. 445.)

(3) Duo philosophi scripta eo tempore adversus christianos ediderunt, quorum alter ignotus est, alter Hierocles nomine Bithyniæ dein Alexandriæ præfectus, ut Lactantius refert (*De mort. persecut.*, ch. 16) : « Auctor et consiliarius ad faciendam persecutionem fuit. » Illius mentionem

ditoris ludibrio et dedecori tradita essent (1). Quin etiam inductæ feminæ quædam, sordidissimæ, ut videtur, notæ, quæ in vulgus, tanquam testes et consciæ ipsæ fuissent, atroces fabulas, sine pudore consererent, verosque esse confirmarent rumores istos, quos nullo certo auctore olim de christianis diffusos jampridem publica opinio omiserat (2).

Illa vero, ut apud omnes constat, nihil profecere. Jamque christianæ societatis fortuna usque eo progressa erat, ut eam delere penes terrarum dominos non esset. Frustra igitur inter decem annos, in Oriente præsertim, ubi Galerius Cæsar et mox Augustus imperabat, multis modis vexati et interfecti fuere christiani; sique inter eos nonnulli, suppliciorum metu victi, persecutoribus cessere, et, traditis, ut imperatum erat, sacris litteris, vel ejurata religione, servavere vitam (3); plures vitæ potius quam fidei suæ jacturam facere maluerunt.

Subit tamen æstus quidam et aliqua dubitatio, si de ingenti numero cogites eorum qui tunc in periculum adducebantur. Erant enim, si Eusebio fidem adhibeas (4), regiones, urbes, vici christianis referti; erant in exercitibus legiones quarum milites christiani omnes erant, nec tamen provincias ferro et igne vastatas, deletas omnino urbes (5), eversos vicos, nec le-

facit idem Lactantius (*Inst. div.*, v, 2). Libellus quem composuerat inscribebatur λόγοι φιλαληθεῖς πρὸς τοὺς Χριστιανούς.

(1) « Conficta hæc Pilati acta, omni blasphemia et convicio contra Christum referta ludi magistri ubique pueros docere jussi sunt. » (Euseb., *Hist. eccles.*, ix, 4.)

(2) Euseb., *Hist. eccles.*, ix, 4.

(3) Multos, quo se suppliciis subducerent, scripturas sacras inquisitoribus tradidisse constat ex eo quod in Ecclesiis turbæ postea motæ sint. Hinc traditorum nomen infame; hinc Donatistarum et Novatianorum sectæ quibus in Africa et in Oriente diu Ecclesia divisa fuit. — Vid. S. Optat, lib. i. — Vid. Euseb., *Hist. eccles.*, viii, c. 2. — Concilium Ancyranum (314) de *lapsis* fere totum est.

(4) In *Actis sancti Mauricii* (Ruinart, p. 272, 275). *Legio Felix* et *Legio Thebæa* citantur, ut ex christianis omnino conflatæ.

Quanta fuerit christianorum multitudo ex eo etiam conjici potest quod Diocletianus instanti Galerio objiciebat perniciosum esse « *inquietari orbem terræ.* » (Lact., *De mort. persecut.*, c. 2.)

(5) Eusebius tamen (*Hist. eccles.*, viii, 11) et Lactantius (*Inst. div.*

giones trucidatas, nec in legionibus quidem decimum quemque virgis cæsum fuisse apparet (1). In Galliis certe Constantius, accepto edicto adeo non paruit (2), ut contra clementer, comiter quoque erga christianos egerit, imo etiam, si credas Eusebio, eos qui vitæ et honoribus pudorem prætulerunt, id est, quam animo imbiberant, doctrinam potius quam amicitiam principis servare maluerunt, familiares et amicissimos habuerit (3). Multi etiam, ut, conjici potest, judices, multitudine puniendorum territi, vel miseratione moti in homines quorum constantiam ne crudelissima quidem supplicia frangere poterant, aliquid de sævitia edictorum mitigavere (4). At in ipsis imperii partibus ubi sævissime de christianis cognitum est, quum plures sine dubio ex illa christianorum universitate

v. 11) Phrygiæ quoddam oppidum narrant christianis refertum a militibus flammis fuisse subjectum, quibus universos populus cum urbe concrematus interiit.

(1) Est quod credas exercitus easdem plerumque quas principes religiones observare, et de divinitate opinionem, ut militare signum accipere. Constantinus milites formulas precum docuit quibus unum Deum adorarent. Posterius, Juliano imperante, Soli et aliis Diis sacrificabant.

(2) Lactantius (cap. 16 *De mort. persecut.*) sic orditur : « Vexabatur ergo universa terra et *præter Gallias* ab Oriente usque ad occasum tres acerbissimæ bestiæ sæviebant. » — Edicta tamen ad Maximianum et ad Constantium fuerant missa, atque Constantius, ut Lactantius refert (*De mort. persecut.*, cap. 15) : « Ne dissentire a majorum præceptis videretur, conventicula seu parietes dirui passus est : verum autem Dei templum, quod est in hominibus, incolume servavit. » — Eusebius vero Constantium tradit : « Persecutioni nullo modo assensum fuisse, immo vero pios sub ejus imperium subjectos illæsos conservavisse et incolumes ; ac neque sacras Ecclesiarum ædes diruisse, neque aliud quidquam maleficii in christianos omnino molitum. » (*Hist. eccles.*, VIII, 29. — *Vit. Const.*, I, 9.)

(3) Euseb., *Vit. Const.*, I, 11. — Notanda tamen sunt hæc Lactantii verba : « Suscepto imperio Constantinus Augustus nihil egit prius quam christianos cultui ac Deo suo reddere (*De mort. persecut.*, cap. 24). Inde sequi videtur Constantium christianis cultum Christi publicum interdixisse. »

(4) Euseb., *De Mart. Palest.*, cap. 9 ; *Hist. eccl.*, VIII, 12. — Arrius quidam in Thebaïde præses, ut fertur, in ipso tribunali, christianus factus est.

superstites quam necati fuerint, nec facile intelligi possit, neque ab ullo rerum auctore traditum, immensam hominum multitudinem fuga saluti consuluisse, necesse est, ut aut christianum vulgus neglectum fuerit, et ad solos duces et præsides sectæ, ut appellabatur, imperatorum jussa spectaverint; aut verbis tantum, non re ipsa universo christianorum corpori edicta incubuerint. Gibbonus harum rerum scriptor ex *Actorum* et Eusebianæ historiæ recensione, paulo minus quam duo millia martyrum intra decem hos annos fuisse occisa colligit (1). At necesse est, ut is numerus pro certo habeatur, omnium prorsus, qui ubique gentium martyrium passi sunt, in *Actis* aut apud Eusebium mentionem fuisse factam, quod nemo forsan facile concedet. Dodwellus in Cyprianica dissertatione quæ inscribitur *De paucitate Martyrum,* habita diligenter temporum ratione, aliisque rebus nonnullis curiose perspectis, fere idem statuit.

Id tantum, mea quidem sententia, pro comperto haberi jure potest : nec ubique, nec sine intermissione, nec pari sævitia, nec in universos atque omnis ordinis christianos, quamvis ita fuisset edictum, ab anno CCCIII usque ad annum CCCXIII, quo pax et libertas christianis, post tot et tanta certamina obtigere, re ipsa fuisse animadversum.

Quid vero Martyres computare refert? Libanius sane harum tragœdiarum fere testis, nec benevolentiæ adversum christianos suspectus, clare indicat multos sub iis, qui ante Julianum rerum potiebantur, ob id unum quod erant christiani, novissima exempla passos (2).

Vix elapso post datum Nicomediæ edictum biennio, Diocletianus deposita purpura se sponte sua in privatum ordinem redegit, ægre ferens certe, quod, ut ante præsenserat, terræ orbis inquietaretur, quodque ferrum, *quo graves Persæ melius perissent,* in magnam civium partem exacueretur. Sexto post abdicationem anno (3) Galerius Augustus insanabili morbo

(1) ***Histoire de la décadence de l'empire romain,*** **édit. GUIZOT, tom. III, p. 281 et suiv.**

(2) **LIBANIUS** (επιτάφιος ἐπὶ τῷ Ἰουλιανῷ), ***Fabricii Biblioth. græc.,*** **tom. VII, p. 284.**

(3) **Pridie kalendas martias (30 avril) anni 311.**

oppressus, quem a Deo ultore missum christiani rebantur, pacem christianis concessit, et solemne edictum, cui, apud Eusebium, Galerii, Constantini et Licinii Augustorum nomina inscribuntur, promulgavit. Quod quidem edictum apud Lactantium legitur, neque Græca Eusebii versio ab eorum scriptura discrepat, nisi quod eos, quibus reipsa indulgent, imperatores etiam verbis insectantur.

In hoc edicto Galerius se vana tentasse fatebatur, cum christianos ad veterum instituta posse revocari confidisset. Multos punitos fuisse declarabat, multos deturbatos (1), plurimos autem perseverasse : hinc multum in toto orbe perturbationis esse, quod cives multi nec Deos veterum, nec jam Christum suum (cujus aræ et ædes ex edictis dirutæ jacent) observant. Se igitur iis indulgentiam suam porrigere *ut denuo christiani sint*, et conventicula componant, ita tamen ne quid contra leges fiat. In edicti fine Galerius christianos jubebat pro sua, pro ipsorum et Reipublicæ salute Deum orare.

Nescio an æquo et libenti animo has litteras scripserit Galerius, at certe fatendum est, in his pacem et libertatem christianis plene contineri, quæ ne minime quidem imminuuntur, dum cavetur *ne quid contra leges fiat*. Si enim corpori cuilibet civili aliquid contra leges moliri concesseris, civitas omnis dissolvatur necesse est. Maximinus cujus nomen in edicto deerat, Orientis provincias post exstinctum Galerium adeptus, quamquam ipse parum pronam in christianos voluntatem declaraverat, eos tamen, dato exemplo, libere conventus celebrare passus est (2). Tum christiani inter secreta montium aut sylvarum recessus abditi, in publicum prodire cœperunt, alii e

(1) De hujusce verbi sensu non consentiunt interpretes. Alii legunt deturpatos id est atrocissima supplicia passos, excarnificatos, combustos, oculis vel auriculis vel naribus privatos et varie mutilos ; alii simpliciter ad supplicium ductos ; ego ab opinione sua, id est a pietate quam profitebantur, suppliciis aut metu suppliciorum deturbatos intelligo.

(2) « Maximinum Eusebius memorat coram mandasse ut persecutionis vis remitteretur, dein magistratus se invicem hujus mandati certiores fecisse. Simul Sabini præfecti adjungit epistolam præsidibus provinciarum scriptam cujus idem fere tenor est ac edicti Galeriani ; quoque se-

carceribus vel e metallis educi, undique cætus agere, ritusque suos publice et sine interpellatoribus facessere. Viæ omnes ingentibus christianorum catervis complebantur hymnis et psalmis Deum laudantium. Etiam gentiles, rebus ita compositis, nonnihil lætari videbantur (1).

Nec tamen ultra sex menses pax ista duravit sub crudeli principe et nimiis superstitionibus dedito. Namque ad novas artes prætextusque instaurandæ persecutionis se convertit Maximinus, subornatis civitatum et præsertim Antiochiæ legationibus petentium ut christiani e mœnibus urbis exterminarentur (2), quibus non invitus cedens, christianos, excepta morte, acerbissimis suppliciis affici jussit (3), donec rebus in Occidente gestis et Constantini ad Pontem Milvium victoria, deterreretur.

Maxentius in Italia rerum, nomine Augusti, potitus, primum Christiani personam induerat (4), legatisque suis in mandatis dederat ut nequaquam contra christianos sævirent (5) : mox firmata dominatione, in violentiam flagitiaque omnis generis delapsus est (6). Deinde patris Maximiani ultionem prætendens, quem ipse paulo post ex Italia expulerat, et ambitione potius, totiusque imperii adipiscendi libidine, statuas et imagines Constantini dejici jussit, bellique fortunam experiri aggressus est. A nostro quidem consilio alienum est referre

mei et iterum declaratur nullo modo nullaque ratione persuaderi posse christianos ut ad Deos redeant. » (EUSEB., *Hist. eccles.*, IX, 1.)

(1) EUSEB., *Hist. eccl.*, IX, 1. *Τοὺς πρότερον καθ' ἡμῶν φονῶντας συγχαίρειν τοῖς γεγενημένοις.*

(2) EUSEB., *Hist. eccles.*, IX, 2, 3.

(3) « Cum clementiam specie tenus profiteretur occidi servos Dei vetuit, debilitari jussit. Itaque confessoribus effodiebantur oculi, amputabantur manus, pedes detruncabantur, nares vel auriculæ desecabantur. » (LACTANT., *De mort. persecut.*, 36.)

(4) *Ἀρχόμενος τὴν καθ' ἡμᾶς πίστιν ἐπ' ἀρεσκείᾳ καὶ κολακείᾳ τοῦ δήμου Ῥωμαίων καθυπεκρίνατο.* (EUSEB., *Hist. eccl.*, VIII, 14.) De Roma sic loquitur Eusebius velut de urbe omnino christiana cui nihil magis quam Imperator christianus cordi esset.

(5) EUSEB., *ibid.*

(6) EUSEB., *ibid.*, *Vit. Const.*, I, 33. — Sextus AURELIUS VICTOR, *De Cæsaribus*, 40.

quanta industria usus Constantinus bellum paranti occurrerit, eumque ad pontem Milvium, prope Urbis mœnia, in acie devicerit.

Ecclesiasticarum rerum scriptores Constantinum tradunt, priusquam bellum auspicaretur, diu secum cogitasse quarum partium ducem se faceret (5); institutisne Galerii insisteret, et christianos ut factiosos, ut publicos hostes haberet, an exemplum Constantii patris secutus novæ religionis patrocinium capesseret.

Jamque eo res christianorum venerant ut eorum ratio habenda esset. Ea certe stant vigentque, quæ nec mutari possunt nec obrui; valida sunt quæ, etiam si impuleris, resistunt et permanent. Christianorum autem societas, quamvis sævientibus imperatorum edictis debellata, quid posset quantumque polleret patientia ostenderat, callumque, ut ita dicam, per injurias duxerat. Galerius moriens, et Sabinus Maximini præfectus lassas percussorum manus ipsi cohibuerant, seque nulla ratione ferocem hanc animorum contumaciam exstinguere posse confessi, quam tollere non poterant libertatem denuo concedi jusserant.

Oritur ex præterito consilium. Quæ quum in mente Constantinus agitaret, et sibi in memoriam revocaret quæ fuisset Galerii ratio, quo proposita cessissent, quanta fuisset, eo imperante, rerum in fere toto orbe perturbatio, quis tandem exitus, quamque indignum principe fuisset palinodiam, ut aiunt, canere; et contra, quam utilis patri, paternæque famæ et ipsis Galliis fuisset, Constantii erga christianos mansuetudo, non mediocriter ambigebat quid sibi agendum esset. Hinc enim celebrata priorum imperatorum consuetudo et servata ad hunc diem imperii consilia urgebant : Religiones penes principes esse, neque parvam Rempublicam in magna illa et vera Populi Romani Republica tolerandam. Hinc ante oculos novi homines, jam plures numero ut obrui possint, ea pietate ut vitam potius quam conceptam de Deo opinionem ponere malint, adeo validi ut imperatoribus

(5) Euseb., *Vit. Const.*, cap. 21 et suiv. — Socrates, *Hist. eccles.*, I, 1.

restiterint. Quid non valeant adjuti, qui vexati oppressique tantum valuere, et quid a talibus sociis exspectandum, dummodo regantur!

Hæc et talia Constantino secum in utramque partem disserenti prodigium quoddam, ut narratur, sese obtulit, crucisque effigies (1) inter nubes vespertinas aperte visa, divinitus litem hanc, si dicere ausim, diremit (2). Tum Augustus vexillum in modum crucis fabricari, christianorumque signum ante legiones præferri jussit.

Non facile aliquis talia versantem in animo, perpendentemque quid sibi cœptisque magis expediret, et ea deligentem denuo quibus certius res suas componi, suisque utilitatibus commodius consuli crederet, ex fide intima et vera aliqua pietate fuisse ductum intelliget. Itaque non plane video quemadmodum sibi consentiat recentissimus hujus historiæ scriptor qui asserit fide in Deum, certe superstitione atque ambitione Constantini animum ad hoc propositum inclinavisse (3). Aliud, ut videtur, pietas, aliud ambitio est, et si eadem aliquando suadent, cujus ambitio initium et causa fuit, non id certe pietati merito

(1) Nihil habet de hac visione Lactantius, sed tantum dicit, monitum in quiete Constantinum ut cœleste signum Dei notaret in scutis atque ita prœlium committeret (*De mort. persecut.*, 44). Nazarius vero refert : « in ore omnium Galliarum esse exercitus visos qui se divinitus missos præ se ferebant, ut Constantino militarent. » Non aliter de hac sub Marco Aurelio pluvia, missa divinitus, ut credebant, quam suis pagani precibus debitam et a Jove concessam declarabant et pingebant, a Christo vero tributam contendebant christiani.

(2) Apud Eusebium (*Vit. Const.*, cap. 21) illa Constantini quasi deliberatio, his verbis concluditur : « Ista omnia cum mente tanquam in unum collegisset, in Diis, qui non sunt, colendis tantam inanitatem consectari, postque periculum factum cæco errore duci, summæ putavit esse dementiæ; Deumque quem pater sancte adorasset, solum observandum colendumque statuit. »

Si igitur Eusebio creditur, Constantinus rebus in utramque partem secum disputatis eadem quæ Constantius fecerat erga christianos agere decrevit, id est, ut videtur, aut iis favere aut non nocere. Tunc prodigio et crucis visione perfectum est quod ratione et consilio inchoatum fuerat, et divinitus christianus fit qui ex consilio christianis nec adversus erat nec propitius.

(3) Ce fut un acte de foi ou de superstition, si l'on veut absolument

adscripseris. Repugnat enim ad aliquod propositum pietate moveri, et idem, post exactam adeo utilitatum et incommodorum æstimationem complecti. Qui pietate ductus agit, ex affectu et ex animo agit, nec rerum vices attendit prœteritas, nec eventus futuros, nec quid ex proposito sequatur, quid spes implere, quid fallere possit cura tam diligenti computat. Non quod cæcam omnino et temerariam et sui nesciam pietatem per se esse judicem, sed, iterum dico, ratio nonnulla est, cur de illa pietate dubites quæ ambitione obtegitur quæque cum utilitatibus tam apte congruit; nec unquam eum vere pium esse dixerim, qui, tanquam in civili bello partes adversas, viresque partium componat, præsenti animo secum deliberat quem sibi Deum patronum faciat, vel, ut verius dicam, cujus Dei patronus ipse fiat. Non igitur pietatis sed civilis providentiæ instinctu sese gessit Constantinus, cum christianarum partium, quibus utilissime pater faverat, quasque non sine magno sui regnique detrimento, opprimere tentaverat Galerius, tutelam amplecti decrevit. Sic christianarum rerum arbitrium consequebatur, et reliqua in fortitudine et in militum manu posita, pro possessis erant.

Ita, qui paucis ante annis (308) Constantinus, post debellatos Francos, Summi Pontificis munia exsecutus erat, et Apollinem Deum precibus et hostiis, veteri more, affecerat (2); quique anno proximè elapso (311) in edicti Galeriani titulo, superiorum retro principum exemplo Pontificis Maximi, nomen usurpabat, seque suamque causam, veluti Christi cliens factus, necdum tamen christianæ doctrinæ manifestus particeps, Dei christianorum tutelæ submittebat.

Cæterum, quamvis crucis effigies hastæ prælongæ præfixa pro legionibus, in loco Deorum imaginum prospiceretur, non inde inferendum est, tunc temporis Constantinum christianæ doctrinæ fuisse addictum.

Constantius Constantini pater sine dubio, nec gentilium

refuser le nom de foi à un sentiment où l'ambition avait tant de part. Ce ne fut point un acte de politique. (*L'Église et l'Empire romain au IVe siècle*, par M. Albert de Broglie, t. I, p. 220, 2e édition.)

(2) *Panegyrici Veteres*, p. 215.

Deorum pius assectator erat, nec christianæ doctrinæ assentiebatur, sed mediam quamdam a philosophia potius quam a religione ductam opinionem profitebatur, unde mansuetudo in homines et omnium de Deo opinionum reverentia aut contemptus sequi possent. Cujus quidem doctrinæ summa sane erat, unum Deum rerum omnium parentem et conditorem agnoscere. Hinc forsan ipsi non adeo difficile erat ad christianam doctrinam transferri, sed nemo dicere potest hic christianam esse doctrinam ubi Deus unus agnoscitur, nisi inter christianos Socratem et Platonem et alios numerare non abnuerit.

Non videtur autem Constantinus, cum adversus Maxentium procederet alii quam incertæ et fluctuanti patris opinioni adhæsisse. Et quamvis Eusebius tradat eum, adscitis christianis doctoribus, tum novæ doctrinæ arcana didicisse (1), non verisimile est eum inter bellicos apparatus et strepitus castrorum animum ad talia applicandi tempus sumpsisse. De crucis effigie in aere sub vesperum visa, nihil habeo quod agam. Talium enim rerum non facilis est censura. Id certè pro comperto est, et sub mentes humanas plane cadit, Constantinum, quamquam specie tenus, anno 308, Apollini, post pacem Reipublicæ redditam, solemniter litaverat, dudum et jam inde ab adolescentia, ut puerilibus nugis, veterum fabulis veledixisse (2); eumdem non ante de Deo certa aliqua opinione imbutum quam contra Maxentium signa moveret; tum ad id induxisse animum quod commodissimum videretur, scilicet æquali, ut ita dicam, libra utrasque partes versare, et eas potissimum amplecti de Deo opiniones quibus lacerata Respublica a discordiis civilibus requiescere posset. Jam instigabant eum, ut verisimile est, et accensum antea in Galerium odium qui, ipsi Severum et Maximinum, in Cæsarum electione prætulerat. Quomodo eamdem quam Galerius olim, quam adhuc Maximinus, quos acerrimè oderat, viam subiisset? Instigabant etiam paterna exempla, denique civilis prudentia, cui certe terræ orbem propter religiones discordia misceri et perturbari alienissimum erat.

(1) Euseb., *Vit. Const.*, I, 26.
(2) Euseb., *Vit. Const.*, lib. II, cap. 50.

Quid autem magis rationi sapientiæque consentaneum, quam quod pater, salva dignitate, et florentibus Galliis susceperat, Constantinum idem facere ; quod in Italia et in Oriente tyranni cum multa potestatis viriumque jactura frustra tentaverant, ab hoc eumdem abhorrere ; quod sedare turbas, componere animos, res ubique quassas reparare poterat hoc etiam amplecti.

His ut opinor causis, Constantinus crucem ut libertatis et concordiæ potius quam manifesti in doctrinam christianam studii indicium præ se tulit.

Victo ad Pontem Milvium mortuoque Maxentio, Constantinus multis acclamantibus Romam ovans introiit, et omissis, an ex industria incertum est, his cœrimoniis, quibus post victorias principes de diis se bene meruisse significare solebant, Senatui morum simplicitate et comi alloquio; optimo cuique fracta vi prætoriarum cohortium, quarum penes arbitrium omnia in urbe, imperante Maxentio erant, et in primis sublata delatorum peste; plebi universæ sueta ludorum pompa et magnificis largitionibus satisfecit. Statua ut mos erat et triumphalis arcus victori dicata. Statua, ut refert Eusebius, dextra manu hastam in crucis speciem factam gerebat, ambiguum signum. Nec minus anceps quod in hujus statuæ basi subscribebatur (1). Arcus triumphalis, qui nunc etiam Romæ manet, properè ædificatus et dereptis ex arcu Trajani ornamentis, tum multiplici artificio, tum inscriptione, nescio quid dubitationis omnibus et ipsi principi inesse de religionibus, testabatur.

IMP. CAES. FL. CONSTANTINO. MAXIMO.
P. F. AVGVSTO. S. P. Q. R.
QUOD. INSTINCTV. DIVINITATIS. MENTIS.
MAGNITVDINE. CVM. EXERCITV. SVO.
TAM. DE. TYRANNO. QVAM. DE. OMNI. EIVS.
FACTIONE. VNO. TEMPORE. IVSTIS.
REMPVBLICAM. VLTVS. EST. ARMIS.
ARCVM. TRIVMPHIS. INSIGNEM. DICAVIT.

(1) Euseb., *Hist. eccles.*, ix, 8. — Incertus panegyricus datum a senatu Constantino signum refert tanquam Deo alicui : « *Debetur enim divinitati et simulacrum aureum.* » (*Panegyr. Vet.*, p. 249.)

Nonnulli contendere sub his verbis INSTINCTV DIVINITATIS hæc verba NVTV. IOVIS. O. M. oblita latere ; et certe quicumque inscriptionem hanc attentis oculis vel ex inferiore nec satis propiore loco inspiciet, ei manifestum erit in hoc versu inesse aliquid mendosi et obliterati. Quod quidem doctissimus Henzenius in hunc modum testatur : « Verba INSTINCTV DIVINITATIS in litura posita sunt : eorum loco olim verba legebantur : NVTV. IOVIS. O. M. quorum vestigia satis clara adhuc exstare affirmavit mihi vir quidam rei epigraphicæ peritissimus, cui inscriptionem prope intuendi et manibus contrectandi occasio fuerat (1). »

Cæterum vox ea *divinitas* talis erat quæ et philosopho et Deorum sectatori et christiano pariter placere posset. Inter ea quæ hujusce arcus latera decorant suovetaurilia et insculpta sacrificia finguntur, labarum ibidem et crucis effigiem frustra requires. Constat autem inter omnes opus illud nonnullis post devictum Maxentium annis dedicatum fuisse ; quo si Constantinus non Pontifex Maximus inscribitur, nihil inde colligendum est, quoniam pariter desunt solitæ aliæ mentiones ut tribunitiæ potestatis, consulatus, etc.

Antequam Roma digrederetur Constantinus (2), magistratus, Licinio subscribente, edicto monuit, ne quid molestiæ christianis *aliisve sectis* propter religiones facesserent. Cujus edicti meminit Eusebius (3), nec satis constat cujus generis et quemadmodum concessa cuique sequendi quam vellet religionem, potestas pateret, et diversissime illud auctores recentissimi in-

(1) HENZEN., *Orellianæ Collect.*, vol. tertium, p. 113, not. in n° 1075. — Vir ille epigraphicæ rei peritissimus, cujus testimonio Henzenius nititur ipse est desideratissimus Borghesius, quem nominatim inscribere noluit auctor, ne quid Romæ offensionis ista mentio traheret apud homines non satis veritatis totius curiosos, et ipsi Borghesio noceret testimonium. Scilicet ille stans in applicatis, arcus reparandi causa, tabulatis, oculis et manibus manifestissime lituram deprehendere potuit, quam obscure ipsæ photographicæ effigies indicant.

(2) Romam die octobris XXIX ingressus Constantinus vix duos solidos menses in urbe explevit. Quod testatur Nazarius : « Quidquid mali sexennio tuto dominatio feralis inflixerat, bimestris fere cura sanavit. »

(3) EUSEB., *Hist. eccles.*, X, 5.

terpretantur (1). De hoc certior factus Maximinus (illud enim rescriptum Augusti ad eum mittendum curaverant) quanquam datum Constantino senatusconsulto principem inter Augustos locum moleste ferebat, sibi tamen pacique consulere visus est, si iram corde premeret, et decretis assentiretur. Tum missis ad Sabinum præfectum litteris, quas Eusebius tradit, jam tantum persuasione et solis hortationibus flectendam christianorum pertinaciam jussit, quibus nisi responderent, nec ulla ratione possent adduci ut ad bonas mentes et ad majorum disciplinam reverterentur, libere unumquemque quod ipsi liberet, colere sinerent (2).

Mox, ineunte anno 313, Constantinus et Licinius Mediolani commorantes alterum edictum, quia, teste Eusebio, prius non bene successerat, promulgaverunt, quo solemniter « *ea ordinabant quibus Divinitatis reverentia continetur* (3). »

Si ad ipsa hujusce edicti verba attenderis nihil alind Augustos spectasse invenies, quam ut, civilibus sublatis dissensionibus, pacem et tranquillitatem Reipublicæ restituerent. Nec ex conscientia hominis christiani, sed e legum latoris sapientia ortum consilium apparet. Hic principes loqui videntur non christiani. Agitur de « *Divinitatis reverentia.* » — Datur « *christianis et omnibus libera potestas sequendi religionem quam quisque voluerit.* » — « *Hoc consilio salubri ac rectissima ratione ineundum esse crediderunt, ut nulli omnino facultatem abnegandam putarent qui vel observationi christianorum vel ei religioni mentem suam dederet quam ipse sibi aptissimam esse sentiret.* » De christianis præcipua mentio quia persecutio vix deferbuerat, sed plena universis et singulis libertas æque tribuitur. » — « *Quod cum iisdem* (christianis) *a nobis esse indultum pervideas, intelligit dicatio tua etiam aliis re-*

(1) Beugnot (*Histoire de la destruction du paganisme en Occident*, t. I, p. 57) non plenam in eo rescripto christianis libertatem contineri existimat.

M. Albert de Broglie (*L'Église et l'Empire romain au IVe siècle*, t. I, p. 239) nimiam quibuslibet sectis, uti quæque vellet, lasciviendi potestatem concessam putat.

(2) Euseb., *Hist. eccles.*, IX, 8.

(3) Lactant., *De mort. persecut.*, 48.

ligionis suæ vel observantiæ potestatem similiter apertam et liberam, pro quiete temporis nostri esse concessam, ut in colendo quod quisque deligeret, habeat liberam facultatem. »

Ita certe de christianis bene merebant Constantinus et Licinius, nec ampliora jura superiore seculo a principibus christiani doctores petierant; nempe ut eadem libertate qua omnes alii, in colendo numine fruerentur. At illud edictum in quo eodem gradu christiani quo cæteri ritus habentur, nihil nisi providum animum, juris æqui studiosum, publicæ quietis et tranquillitatis firmandæ cupidum, indicat. Nec aliter forsan priorum temporum imperatores locuti essent, si civili quæstione omissa, in doctrina christiana, non rerum omnium perturbationem, sed novos tantum ritus et aliam numinis observandi rationem vidissent.

Sequentia in gratiam christianorum manifestiora videbantur. Jubebatur nempe : *ut vel fiscus, vel qui a fisco aut ab alio quolibet ea loca mercati erant, aut dono consecuti, ad quæ antea christiani convenire consueverant, eadem christianis sine pecunia et sine ulla pretii petitione restituerent. Et item de iis omnibus quæ christiani habuisse noscebantur, ad jus corporis eorum, non hominum singulorum pertinentia, servata tamen ea ratione, ut ii qui eadem sine pretio, sicut diximus, restituerint, indemnitatem de principum benevolentia sperarent* (1).

Hæc, meo quidem judicio, nihil magis valent quam quod Galerius concedebat : « *ut denuo sint christiani.* » Hoc est ex legibus Romanis licita collegia aut corpora civilium personarum loco habebantur, ideoque illis in commune possidendi et agendi jus erat. Galerius igitur anno 311, et Mediolani con-

(1) LACTANT., *De morte persecut.*, 48; EUSEB., *Hist. eccles.*, X, 5. — Idem in Lactantio et in Eusebio rescriptum, nisi quod apud Eusebium de indemnitate bonorum christianorum possessoribus concedenda magis destricte statuitur; nempe in versione latina ita se locus ille habet : *Modo ratio ipsa ante demonstrata sedulo conservetur, nimirum ut illi qui sine repetitione pretii sicuti extra diximus, ea restituant, suas res et facultates absque damno a nostra beneficentia compensatas fore pro certo expectent.* (EUSEB., *Hist. eccles.*, X, 5.)

gressi principes cum christianis tribuunt ut sint et liberis mentibus degant, non certe singulis tantum, sed universis simul, sed toti corpori christianorum veram et efficacem libertatem condonant : id est, quibus antea ex lege coïre non licebat, jam nunc licere, quibus cœtus celebrare et agere solemnia non fas erat, jam nunc fas esse constituunt, quosque lex esse vetabat, jam sui juris fieri.

Æquum erat, ut videtur, quum a morte revocare interfectos nemini daretur, communibus bonis, Ecclesiis, ædiculis et vasibus ad sacros usus necessariis vi et injuria spoliatos in earum rerum possessionem saltem restitui, ut civilium dissensionum et injuriarum vestigia penitus abolerentur. Quid enim profuisset christianos in libertatem vindicari, iis copiam religionis observandæ et cœtus celebrandi dari, nisi, locis, e quibus expulsi fuerant, redditis, Ecclesias recuperandi, aut resarciendi aut de integro exstruendi facultas concessa fuisset ! Æquum erat etiam, iis, qui earum rerum partem aliquam vel emerant vel dono acceperant, consuli, quod semel et iterum in edicto provisum erat.

His in libellis sine favore et studio christiani ab imperatoribus tractabantur, sed æquo juri convenienter, quique ita disponebant, Constantinus et Licinius, justitiæ et æquitatis reverentiam reipsa profitebantur, non christianos agebant, nisi forte quietis publicæ cura et reparandarum injuriarum voluntas, et sanctior juris uniuscujusque respectus christianos animos demonstrent.

Jam vero Eusebius tradit Maximinum sequenti anno a Licinio victum, et insanabili morbo oppressum sævitiæ in christianos suæ demùm pœnituisse, et antequam moreretur edictum perscripsisse, quo quod antea egisset excusabat, suisque legatis, non sibi, vitio vertendam esse persecutionem asseverabat, jubebatque christianis omnino parcerent et libere cœtus agitare, et quoscumque vellent ritus observare permitterent ; dein, scripto vix edicto, perditam animam exhalasse (1),

(1) Nihil de hoc Maximini morbo Romani annalium scriptores tradidere. Sext. Aurelii Victoris de Cæsaribus liber de hoc ita refert :
« Dum hæc in Italia geruntur, Maximinus ad Orientem post biennii

quamvis autem horum temporum testis extiterit Eusebius, merito illa suspecta narratio. De hoc edicto Lactantius silet, licet pariter horrendo et inenarrabili morbo ictum divinitus Maximinum, non sine lætitia, describat. Mirum est profecto, quod ita similes vices experti, ita simili casu Galerius et Maximinus occiderint, eodem utrinque morbo singulari, eadem pœnitentia serius acta, eadem ante supremam horam palinodia memorabiles. Hæc non sine arte excogitata videntur et ad augendam christianorum gloriam exquisita et selecta. Quid enim nomini et partibus christianorum gloriosius ostendi poterat, quam christiani nominis osores e rerum fastigio miserabilem in modum delapsi, novissimos dies inter inextricabilis morbi cruciatus trahentes, fœdum omnibus spectaculum, potentioris Dei vim suamque imbecillitatem confessi, libertatemque, quam florentes abnuerant, victi et morituri, ut victoribus, concedentes ! Quis hæc non artem redolere asserat ? Non sine *ira et studio* scripsisse se Eusebius fatetur (1) et Lactantius *de Mortibus Persecutorum* rhetoris more, potius quam scriptoris vera et simplicia sectantis, agit. Cæterum, si hoc, quod apud Eusebium legitur (2) rescriptum Maximinus, antequam moreretur, verè edidit, si Constantini edictum, christianum principem redolet, pari jure ut videtur, christianum factum esse Maximinum affirmari potest, quoniam nihil in Constantini edicto invenitur quod in Maximini rescripto non sit.

Mortuo Maximino penes Constantinum et Licinium III consules rerum summa erat. In utroque par ambitio et gloria fere similis, ab altero in Italia Maxentio, ab altero in Oriente Maximino victis. Res ubique compositæ erant, ac post quinque imperatorum edicta christiani in civitatem adsciti et communi

augustum imperium, fusus fugatusque a Licinio, apud Tarsum perit. » (Cap. 41.)

Ejusdem epitome : « Maximinus apud Tarsum morte simplici periit. » (Cap. 40.)

Eutropii, *Breviarii*, lib x : « Non multo deinceps in Oriente quoque adversus Licinium Maximinus res novas molitus, vicinum exitium fortuita apud Tarsum morte prævenit. » (Cap. 3.)

(1) Euseb., *Hist. eccles.*, viii, 2.

(2) Euseb., *Hist. eccles.*, ix, 9.

jure dignati, plena tandem libertate fruebantur. Nec vana eorum et sine honore libertas. Namque Constantinus eo ipso anno (313) christianæ religionis ministros omnis ordinis, iisdem immunitatibus affecerat, quas veteris observantiæ sacerdotes in provinciis, in municipiis flamines jam pridem obtinuerant. Undique, quasi pace in æternum firmata, omnes passim utriusque sectæ, scriptis publice laudibus Constantino Pio, Felici, Patri Patriæ, Triumphatori, Victoriosissimo, pacis fundatori, publicæ quietis restitutori, gratiam testabantur.

PARS PRIOR.

QUALEM SE GESSERIT ADVERSUS GENTILES CONSTANTINUS.

CAPUT I.

Ab edicto inde Mediolanensi ad defunctum Licinium.

(313-324.)

Licinius a Constantino in affinitatem, sorore videlicet Constantini ipsi desponsa, Mediolani adscitus, edicto pro christianis consenserat, deinde antequam cum Maximino manus consereret christianorum Deum, ut Lactantius refert (1), solemnibus precibus iisque publice recitatis adierat. Nulla igitur inter Augustos erat de religionibus disceptatio, utque Constantinus adversus Maxentium sic Licinius adversus Maximinum nominis christiani hostem bellum gesserat. Pax tamen, tanquam si divisum olim inter quatuor principes imperium, non jam duorum ambitionem explere posset, non diu mansit.

Non est nostri operis referre quibus de causis orta fuerit contentio, et redintegrati belli vices singulas persequi. Victus apud Cibalas, Pannoniæ oppidum, Licinius, deinde apud Mardiam in Thracia, et aliquot provinciis exutus, Orientis tamen imperium, deminuta dignitate retinuit. Concessus Liciniano Licinii filio consulatus, pacis ignominiam male obtexit.

Octo post annis, societatis regni impatiens Constantinus et

(1) Lactant., *De mort. persecut.*, c. 46.

« *totius orbis principatum affectans* » ut Eutropius loquitur (1); sive ut Eusebius et Sozomenus tradunt ulciscendorum christianorum studio, quos Licinius male habebat, quique pro Constantino solo, ut ille rebatur, preces fundebant, ut ab eo uno gubernarentur (2), bellum de integro instauravit.

Notandum est Ecclesiasticos auctores (3), rupta statim pace, veluti si de christianorum fortuna inter Orientis et Occidentis dominos tantum ambigeretur, ac nulla alia quam de Ecclesiarum conditione et statu agitaretur quæstio, hinc Constantinum manifestum christianorum propugnatorem, illinc Licinium apertum hostem ostendere (4). Nec a vero absimile est christianorum corpus dum sibi ducem unicum Constantinum prædicarent, cujus clementiam et facilitatem erant experti, rursus sparsis in Licinium criminationibus, cujus superbia sævitiaque gravabantur, in suas partes Maxentii victorem in diversas contra Licinium ita induxisse, ut jam non de rerum omnium principatu, at de christianorum tantum libertate in hoc bello agi videretur.

An invocaverit veteres Deos Licinius ante diem pugnæ et suis ipse militibus in modum adhortationis dixerit : *Deorum Reipublicæ fortunam in manibus eorum esse sitam ;* Constantinus contra sacerdotibus christianis, ut *optimis animæ suæ custodibus* circumseptus incesserit (5), equidem affirmare non ausim. Nimis poetice, videtur his de rebus scripsisse Eusebius, et suspecta omnino est hæc Licinii ad suos quam retulit oratio. Certe sive divina spe adjutus sive probata contra Barbaros legionum fortitudine, suaque ipsius nec non Crispi filii audacia, Constantinus Hadrianopolitano primum in Thracia prælio, mox et Chalcedonensi hostium vires fregit.

(1) EUTROPIUS, *Breviar. Hist. rom.*, x, 4.

(2) Ἅμα δὲ καὶ τὰς ἐκκλησίας ὑπολαμβάνων εὔχεσθαι καὶ σπουδάζειν ὑπ' αὐτοῦ μόνου (Κωνσταντίνου) βασιλεύεσθαι. (SOZOM., *Hist eccles.*, I, 7.)

(3) Eusebius, Sozomenus, Socrates, Theodoretus.

(4) EUSEB., *Hist. eccles.*, x, 8 ; *Vit. Const.*, I, 51, 56, II, 4, 5, 6. — SOZOM., *Hist. eccles.*, I, 7.

(5) Ὥσπέρ τινας ψυχῆς ἀγαθοὺς φύλακας. (EUSEB., *Vit. Const.*, II, 4.)

Licinius, rogante Constantia, benigniter a Constantino exceptus, imperio tamen exutus, et in privatum ordinem redactus, anno vix elapso, Thessalonicæ, imperatoris jussu, quo major forsan securitas victori foret, per vim oppressus et exanimatus est; christianique omnes, uno stante totius imperii arbitro Constantino, voti compotes fuère.

Jam quærendum an vere et historice Constantinus partes has, quarum patrocinium eum suscepisse Eusebius refert, defenderit. Scilicet quum adversa ut ita dicam fronte in imperio, quasi duo exercitus, christianorum militia et paganorum multo major numero starent, utri Constantinus imperator animum adjunxerit; an vetera omnium retro principum instituta repudiaverit, et spretis Summi Pontificis honoribus, omnem operam in evertenda, ut aiunt, gentilitate et in nova illa quam suscepisset religione publice instituenda impenderit? Denique an jure et merito dici possit Constantinum, avitæ religionis desertorem, hanc ipsam, quantum potuit, ut christianum forsitan decebat, et ut Ecclesiastici tradunt scriptores, prohibuisse. Lactantius, si paganus exstitisset, Constantinumne inter persecutores suæ religionis potuisset numerare?

Zosimus narrat Constantinum a veteri cultu non nisi post interfectum Crispum descivisse, additque eum ad christianos deflexisse ritus, quod, cum tanti sceleris expiandi viam inquireret, suis christiani doctores id facile fieri posse sacramentis asseverarent.

Sextus Aurelius Victor post Crispi necis mentionem Constantinum etiam tradit, non a cultu majorum defecisse, sed nimis ambigue « *formandis religionibus ingentem animum avocavisse* (1) » Denique Libanius in ea quam scripsit pro templis oratione, Constantinum declarat post victum Licinium *tunc demum sibi bene fore putavisse si alterum Deum haberet* (2).

Primum igitur examinabimus quo se Constantinus modo

(1) Sextus AUREL. VICT., *De Cæsaribus*, 41.

(2) Ἡγησάμενος αὐτῷ λυσιτελεῖν ἕτερόν τινα νομίζειν θεόν. (LIBAN., *De Templis*, init.)

in *veterem observantiam,* ut ipse in Codice Theodosiano loquitur, ab edicto Mediolanensi usque ad Licinii mortem gesserit.

Jam nunc pro concesso habemus Constantinum quæcumque de divinitate sentiret (quid imo corde lateat Deus unus novit) sive in christianos eorumque doctrinam inclinaret, sive cultus omnis æque incuriosus et homo nullius religionis, nihil adhuc de ea re in animo fixi et rati haberet, edicto Mediolanensi nihil de Romanæ religionis statu mutavisse. Scilicet hoc edicto, ut supra diximus, sectis omnibus, quod cuique collibuisset sequendi potestate facta, in libertatem christiani vindicabantur : at nulla de religione antiqua movebatur quæstio, sique aucti libertate christiani gratiam Augustis referre, nihil eosdem de se male meruisse pagani contendere poterant. (1).

Exstincto Maxentio unus omnium assensus, eadem alacritas populi senatusque victorem Romam intrantem excepit; cumque Constantinus prætorianorum militum castra dissolveret, legumque metu ad silentium adigeret delatores, et plerisque, qui Maxentii partes sectati fuerant non modo parceret, verum etiam eos « *honore ac fortunis manentibus tegeret reciperetque* (2) » omnes una voce alterum Antoninum Reipublicæ portendebant.

Romæ Constantinus publicis spectaculis consuluit, nec tantum ipse sacrorum ludorum pompæ interfuit (3) sed et « *circum Maximum excolendum mirifice* et balnea publica instituenda curavit, quæ non erant opera hominis christiani. Simul « *Urbis Fanum atque Basilicam Flavii meritis*

(1) Hæc est etiam Moshemii de ea re sententia quæ ita se habet : « Primum Constantini pro christianis edictum multaque alia satis declarant eum bene quidem tum christianis eorumque sacris voluisse, at christianam religionem minime pro unice vera et salutari habuisse; contra reliquas etiam religiones et in his veterem Romanam veras et humano generi utiles judicasse, omnesque idcirco exerceri libere in orbe Romano voluisse. » (*Hist. eccles. Inst. sæc.*, IV, pars I, p. 144.)

(2) Sext. Aurel. Victor, *De Cæsar.*, 41.

(3) « Nec quidquam aliud homines diebus munerum sacrorumque ludorum quam te ipsum spectare potuerunt. » (*Paneg. Veter.*, p. 245.)

Patres sacrabant (1); arcum triumphalem paganis ornamentis decoratum ædificabant; præterea *Statuæ ex auro vel argenteæ locis quam celeberrimis Numini* Majestatique principis, ut inscribi solebat, dicatæ, et « *Per Africam sacerdotium Flaviæ genti* » decernebantur (2).

Non temere igitur inde colligi potest, Constantini victoriam a christianis et gentilibus, velut ab hominibus communi peste liberatis, pari gaudio exceptam, nec christianorum fuisse nec gentilium, tametsi christianis, per hanc sui juris factis, multo commodiorem : Neque etiam in hoc bello de alterutra religione fuisse disceptatum, nec vetera sacra cum Maxentio victa fuisse. Nimirum statuæ et fana et sacerdotum collegia Constantino non delata fuissent, si cognovissent homines artis adulatoriæ peritissimi, omnia hæc victori ingratissima fore; nec laudibus omnis generis aucta et celebrata fuisset principis pietas quem a suis religionibus sensissent alienum. Paulo autem subtilius agere videtur qui sacros honores Constantino a gentilibus delatos putet ea mente, ut eum quasi laqueis irretirent, incertumque ac jam deficientem a sacris institutis animum obligarent et ad se retraherent.

Is enim quem more veteri colebant divinisque afficiebant honoribus, nonne idem erat quo auctore, paulo antea, anno videlicet 311 templum VICTORIÆ AUGUSTÆ post devictos Germanos dedicatum fuerat (3). Nonne idem, cujus nummi sexcenti Pontificis Maximi titulum, aut altero latere veterum numinum ef-

(1) Sext. AUREL. VICTOR, *De Cæsar.* 41.

(2) *Id., ibid.*

(3)
VICTORIAE. AVGVSTAE.
sacRVM. PRO. SALVTEM. (sic)
dd. DN. MAXIMINI. ET. conSTANTINI. ET. LICINI.
semPER. AVGG. AVR. SECECIo.
DVX. TEMPLVM. NVMINI.
eIVS. EX. VoTo. A. NoVo. FIERI. IVSSIT.
PER. INSTANTIAM. VAL. SAM
BARRAE. P. P. EQQ. DAL. AQ
VESIANIS. COMIT. L. L. M.
OB. VICTORIA. FACTA. V. K. IVLIAS.
ANDRONICO. ET. PROBO. COS.
(HENZEN., 5579.)

Vid. *Epist. Borghes.*, de anno dedicationis, *Bull. arch.*, I, 1.

figies et insignia ferebant? Duos nempe nummos habemus annis 312 et 315 cusos, in quibus Constantinus Pontifex Maximus appellatur (1). Alius nummus altero latere radiatam solis imaginem præfert cum his verbis SOLI INVICTO COMITI, altero nomen effigiemque ipsius Constantini (2). Alius, cusus anno 318 solito Pontificis Maximi nomine, imperatorem designat (3). Duæ præterea inscriptiones *Sitifi* in Africa repertæ, etiam anno 315 datum Constantino imperatori Pontificis Maximi titulum exhibent (4). Denique nummorum ingens numerus quos hic describere infinitum esset, quosque, licet tempus quo cusi fuerunt ignotum sit, nec statui queat, post Maxentium victum induçtos fuisse certum est, altera parte Constantini effigie et nomine, altera MARTIS PROPVGNATORIS aut IOVIS CONSERVATORIS aut SOLIS INVICTI COMITIS et nominibus et imaginibus signati sunt (5).

Nonne etiam Constantinum imperatorem, eodem quo Trajanus olim cæterique retro principes animo affectum esse, credere poterant homines, cum, Mediolano digressus ut in Francos tumultuantes impetum faceret, iisque statim victis, captivos Treveris in theatrum belluis dilaniandos populariter objiceret, et de barbaricæ cladis reliquiis ludorum pompam exaggeraret (6).

Quamvis igitur nec plane pervidere nec decernere possi-

(1) ECKHEL, *Doctrina veterum nummorum*, t, VIII, p. 74.

(2) ECKHEL, *id.*, t. VIII, p. 75.

(3) ECKHEL, *id.*, *ibid.*

(4) MAGNO. ET. INVICTO. PRINCIPI. D. N. IMP. CAESARI.
FLAV. VAL. CONSTANTINO. PIO. FELICI. SEMPER. AVG.
PONT. MAXIMO. SARMATICO. MAX. GERM. MAX.
TRIB. POT. X. CONS. III. IMP. VIII. P. P. PROCONSVLI.
SEPTIMIVS. FLAVIANVS. V. P. P. P. MAVR. SITIF.
NVMINI. MAIESTATIQ. EIVS. SEMPER. DICATISSIMVS.

(HENZEN., III[e] vol. *Orellianæ* collect., 5578.)

— Léon RENIER, *Inscriptions de l'Algérie*, fascicul. X, p. 398.

(5) Vide in Cangii aut Bandurii aut in qualibet alia veterum nummorum collectione.

(6) « Nam quid hoc triumpho pulchrius quod cædibus hostium utitur etiam ad nostram omnium voluptatem. » (Incert. Panegyr. — *Panegyr. Vet.*, p. 248.)

mus quali tunc temporis erga veterem religionem mente fuerit Constantinus, at saltem sine dubitatione affirmare licet, illum principem, cujus omnis moneta gentilibus simulacris sacra erat, et cui arcum triumphalem insculptis sacrificiis ornatum, et statuas veluti Deo, et fanum, et sacerdotes deferebant, minime sacrorum veterum osorem et depulsorem haberi.

Socrates historicus unus Constantinum tradit jam ante sublatum Licinium gentilium templa occludi et everti et simulacra quæ in iis erant publicari jussisse (1). At scriptor ille, dum breviter et cursim, ea quæ ante exortam Arii hæresim, a Constantino gesta sunt attingit, non satis exactam temporum rationem forsan habuit, nec est quod testimonium illud admittamus, præsertim cum de ea re et Eusebius et Lactantius taceant.

Nonnullæ tamen in Codice Theodosiano leges reperiuntur quæ ante victum Licinium latæ huic Socratis testimonio occasionem præbuisse videntur. Duæ leges de Haruspicibus, ut videtur coercendis, eodem anno 319 a Constantino datæ, sic se habent.

Imp. Constantinus A. ad Maximum P. V.

« Nullus Haruspex limen alterius accedat, nec ob alteram « causam; sed hujus modi hominum quamvis vetus amicitia « repellatur : concremando illo haruspice qui ad domum alie- « nam accesserit : illo et qui eum suasionibus vel præmiis « evocaverit, post ademptionem bonorum, in insulam detru- « dendo. Superstitioni enim suæ servire cupientes, poterunt « publice ritum proprium exercere. Accusatorem autem hujus « criminis non delatorem esse, sed dignum magis præmio ar- « bitramur. P. P. Kal. Febr. Romæ Constantino A. V et « Licinio Cæs. Coss. (319). »

Idem ad Populum.

« Haruspices et sacerdotes, et eos qui huic ritui assolent « ministrare ad privatam domum prohibemus penetrare, vel

(1) Ἔτι δὲ καὶ τοὺς Ἑλλήνων ναοὺς κλείων μαὶ καθαιρῶν καὶ δημοσιεύων τὰ ἐν αὐτοῖς ἀγάλματα. (SOCRAT., *Hist. eccles.*, I, 2.)

« sub prætextu amicitiæ limen alterius ingredi, pœna contra « eos proposita si contempserint legem. Qui vero id vobis exis- « timatis conducere, adite aras publicas atque delubra, et « consuetudinis vestræ celebrate solemnia : nec enim prohibe- « mus præteritæ usurpationis officia libera luce tractari. Dat. « Idib. Maii. Constantino A. V et Licinio Cæs. Coss. (319) (1). »

Item duobus post annis de magicis artibus sanciebatur:

Constantinus A. ad Bassum P. V.

« Eorum est scientia punienda et severissimis merito legi- « bus vindicanda, qui magicis adcincti artibus aut contra homi- « num moliti salutem, aut pudicos ad libidinem defixisse ani- « mos detegentur : Nullis vero criminationibus implicanda « sunt remedia humanis quæsita corporibus aut in agrestibus « locis ne maturis vindemiis metuerentur imbres, aut ruentis « grandinis lapidatione quaterentur, innocenter adhibita suf- « fragia quibus non cujusque salus aut existimatio læderetur, « sed quorum proficerent actus ne divina munera et labores « hominum sternerentur. (Dat. X. Kal. Jul. Aquileiæ, Crispo « et Constantino Cæss. Coss. (321) (2). »

Eodem etiam anno de Haruspicinæ usu Constantini constitutione cavebatur:

Imp. Constantinus A. ad Maximum.

« Si quid de Palatio nostro aut cæteris operibus publicis « degustatum fulgure esse constiterit, retento more veteris « observantiæ, quid portendat, ab Haruspicibus requiratur, et « diligentissime scriptura collecta ad Nostram Scientiam re- « feratur: cæteris etiam usurpandæ hujus consuetudinis li- « centia tribuenda, dummodo sacrificiis domesticis abstineant, « quæ specialiter prohibita sunt. Eam autem denunciationem « atque interpretationem, quæ de tactu amphitheatri scripta « est, de qua ad Heraclianum tribunum et magistrum offi-

(1) *Cod. Theodos.*, lib. IX, tit. 16, leg. 1 et 2.

(2) *Cod. Theodos.*, lib. IX, tit. 16, l. 3.

« ciorum scripseras, ad nos scias esse perlatum. Dat. XVI « Kal. Jan. Serdicæ. Acc. VIII id. Mart. Crispo II et Cons- « tantino II. CC. Coss. (321) (1). »

Mire inter se quatuor istæ leges consentiunt, et tantum abest ut per eas Constantinus veterum cærimoniis et Romanæ religioni obviam ierit, ut contra, cum eas ederet, Pontificis Maximi implevisse munia et antiquis priorumque principum institutis fideliter institisse dici possit. Videtur quidem imperator ritus illos parvi facere et de veteri observantia, tanquam ab ea alienus sit, loqui. At primo, non quid ipse de Diis senserit, sed quid sanxerit hic inquirimus. Deinde in duabus extremis legibus suffragia, id est incantamenta quædam pro legitimis et utilibus habet et commendat, ea nempe quæ ad hominum pecorumve frugumve salutem proficere possunt; et de fulminis tactu haruspices, *retento more veteris observantiæ, interrogari jubet, et ad se eorum responsa referri,* tanquam iis fidem adhibeat. Verum, fac eum haruspicinam et incantamenta et sacrificia omnino pro nihilo duxisse : nihil ad id de quo agimus. Ex iis legibus supra citatis profecto constat Constantinum semel atque iterum eodem anno 319 in eos qui domestica sacrificia procurant vel privatim haruspicibus utuntur gravissime animadvertisse. Hoc autem jam antea fuerat vetitum. Florente nempe Republica, cum Bacchanalia Romæ et in tota Italia prohiberentur, item provisum erat ne qua sacra fierent in secreto (2). Item et Tiberius haruspices secreto ac sine testibus consuli vetuerat (3). Item et Alexander Severus, teste Lampridio, haruspicibus et mathematicis auditoria decreverat. Denique, quoties imperatores mathematicos in exilium egere, hoc tantum cavebant, ne illi extra omnium conspectum disciplinam suam exercerent. Omnes nimirum fraudibus et malis artibus, quæ religioni et publicæ saluti obesse possent, occurrere, non ipsi religioni et antiquis ritibus bellum indicere volebant; publicæ pietatis moderatores et custodes non hostes ha-

(1) *Cod. Theodos.*, lib. XVI, tit. 10, l. 1.

(2) Tit.-Liv., XXXIX, c. 9 et seq. de qua exstat ipsa senatus consulti scriptura in Tit.-Liv., variis edit.

(3) Suetonius, *Tib.*, LXIII.

beri merebantur; quin etiam non sacrorum eversores sed patronos et Pontifices summos agebant, quorum præcipuum munus erat non in re quacumque, cui religio prætenderetur, connivere, sed quæ prodesse vel nocere possent observare, et alia corrigere, alia prohibere, alia tueri. Ita Domitianus Pontificis Maximi partes agebat, cum monumentum, quod libertus ejus e lapidibus templo Capitolini Jovis destinatis filio exstruxerat dirui per milites, ossaque et reliquias quæ inerant, mari mergi juberet (1). Vetabatur tamen ne quis sepulcra violaret; sed principis, id est Pontificis Maximi erat providere ne qua religio Deorum contaminaretur.

Nihil est igitur cur evertendæ religionis veteris vel prohibendæ consilium aut initium deprehendas in eo quod Constantinus de haruspicina vel privatis sacrificiis constituit. In hoc nihil novi inerat, nihil quod non pontificem Maximum deceret, nihil quod non antea alii retro principes haud semel jam sanxissent.

Item postea Jovianus imperator in ea a Themistio magnifice celebrata lege, qua imperabat ut in colenda religione suo quisque judicio uteretur, cum templa patefaceret, simul incantationum præstigiarumque sacraria intercludebat, cum legitimis sacrificiis utendi licentiam cuique faceret, magicas artes veneficiaque omnino tollebat (2).

Item et Valentinianus in simili lege qua et *unicuique quod animo imbibisset, colendi libera facultas tribuebatur* (3) providerat, teste Themistio, ne per nomen et speciem religionis vel causæ perturbandæ reipublicæ vel latebræ flagitiis quærerentur (4).

Verum Constantinus, tanquam timeret, ne prohibito privatæ haruspicinæ et secretorum sacrificiorum usu, nimium sibi in

(1) Sueton., *Domit.*, VIII.

(2) Καὶ ἱερὰ ἀνοίγων, ἀποκλείει μαγγανευτήρια· καὶ θυσίας ἐννόμους ἀφεὶς, οὐ δίδωσιν ἄδειαν τοῖς γοητεύουσιν. (Themistius, *Orat. consul. ad Jov.*, p. 83, édit. Dindorf.)

(3) Verba ipsa Valentiniani imperatoris in codice Theodosiano, lib. IX, tit. 16, l. 9.

(4) Themist., orat. XII *De Religionibus*, p. 161.

veteres cærimonias licere videretur, et aliquid contra morem majorum suscipere, clare et publice declarabat, templa adire, solemnia celebrare, palam consulere haruspices, unicuique fas esse. Imo circa fulgurum interpretationem haruspices interrogari publice jubebat, et indicabat quibus modis, et ad se scripta eorum responsa deferri præcipiebat. Præterea, sublatis istis incantamentis quibus « *cujusque salus aut existimatio lædi, aut pudici ad libidinem animi defigi* » possint, quæ jam ex legibus et vetita et punita jam pridem fuerant (1), iis permittebat uti, quibus et corporibus ægris afferri sanitatem, et a vindemiis aut frugibus imbres et grandinem amoveri posse crederetur et ipse forsan, si Zosimo fidem adhibere volueris, crederet. (2).

Antiquissima ista est, ut Gothofredus adnotat (3), inter licita et illicita incantamenta distinctio, quæ jam in XII Tabulis reperitur. Exstat in Apulei Apologia locus hic, cujus Constantinus, cum de ea re sanciret, meminisse videtur : « Veteres medici etiam carmina remedia vulnerum norant, ut omnis vetustatis certissimus auctor Homerus docet, qui facit Ulyssi de vulnere profluentem sanguinem sisti cantamine : nihil enim quod ferendæ salutis gratia fit, crimininosnm est (4). »

Lex alia ejusdem Constantini anno 323 data manifestissime probat ritus paganos non tantum toleratos esse sed libere et lascive, ut ita dicam, nec satis habita alienæ libertatis ratione, usurpatos.

Hæc ita se habet.

Constantini A. constitutio ad Helpidium.

« Quoniam comperimus quosdam Ecclesiasticos et cæteros « catholicæ sectæ servientes a diversarum religionum homi-

(1) « Mathematici genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra et vetabitur semper et retinebitur. » (TACITUS, *Hist.*, I.)

(2) ZOSIM., lib. II.

(3) *Cod. Theodos.*, IX, tit. 16, l. 3. — GOTH., *Notulam de hac lege vide.*

(4) APUL., *Apolog.*, ed. Panckouck. t. IV. p. 102.

« nibus ad lustrorum sacrificia celebranda compelli; hac « sanctione sancimus, si quis ad ritum alienæ superstitionis « cogendos esse crediderit eos qui sanctissimæ legi serviunt, « si conditio patiatur publice fustibus verberetur : si vero ho- « noris ratio talem ab eo repellat injuriam, condemnationem « sustineat damni gravissimi, quod rebus publicis vindicabi- « tur. Dat. VIII, Kal. Jun. Sirmii, Severo et Ruffino « Coss. (323) (1). »

Non hic Constantino sacrificiorum lustra damnare vel prohibere vel etiam minuere in animo erat, nec eam legem christianæ religionis promovendæ studio latam fuisse evidenter apparet. Nihil aliud imperator sibi proposuisse videtur, quam ultra modum lascivientes paganorum animos, intra justos fines continere, ita ut alienæ libertati non nocerent. Ac sane injuriosum erat, et uniuscujusque libertati contrarium, et a publica pace alienum, et minus edicto Mediolanensi congruum, si cui liceret ad ritus suos invitum compellere. Non igitur erat veterem religionem violantis catholicæ sectæ servientes ex acerbissima vexatione eripere. Imo hac sanctione demonstrabat imperator se velle, ut inter diversas imperii religiones paribus libra examinata ponderibus penderet. Interim legis hujusce necessitas perspicue indicat, non dissimulanter et furtim et extra omnium conspectum ritus agi paganos, sed palam et libere et in media luce tractari, et adactis quandoque per ludibrium in societatem pompæ christianis.

Nostra autem disputatio certioribus monumentis nititur quam ut impugnari possint aut in suspicionem adduci, legibus nempe et constitutionibus ipsius Constantini, contra quas nullius scriptoris, quicumque sit, auctoritas prævaleat. Cum quæritur quid vel pro paganis, quid autem contra eos Constantinus gesserit, et quomodo veterem tractaverit religionem, si Zosimo Eusebium, Socratem et Sozomenum Libanio et Symmacho opponas, difficilis erit æstimatio, et dubia, quæcumque sit denuo conclusio, utpote cui contraria ex altero deduci queat. Speciosa est in utramque partem disputandi materia, et ex qua par utrinque verisimilitudo interluceat. At si Constan-

(1) *Cod. Theodos.*, XVI, tit 11, l. 5.

tinus ipse de ea re, de qua agitur, clare et publice locutus est, si ejus verba minime dubia, et nemini ambigua supersunt, nemo sani judicii est, qui abjecta principis auctoritate, aut christianæ, aut paganæ sectæ servientibus dociles potius aures præbeat.

Anno 320 quum a Constantino veterani peterent ut sibi ipsis indulgeret, et quædam concederet privilegia, paganis eum salutationibus adibant, tanquam Trajanum aut Diocletianum allocuti : « *Auguste Constantine, Dii te servent* », ignorantes videlicet imperatorem suum ab istis Diis abhorrere; neque Constantinus eorum preces abnuebat (1). Deorum etiam anno sequenti (321) Nazarius rhetor, cum Constantinum magnificis laudibus extolleret, mentionem faciebat, et quamvis non coram ipso imperatore diceret, eo libertatis certe non fuisset progressus, si hæc numina proscribi et abjici, et istam Deorum commemorationem Constantino ingratam fore cognovisset (2).

Legem supra descripsimus qua Constantinus christianos ab injuriis paganorum defendebat, vetabatque ne quis invitum ad lustrorum sacrificia compelleret. Aliud habemus, Eusebio teste, insigne paganorum libertatis exemplum. Nempe cum christiani, jam sui juris facti, nihil extrinsecus metuere et tranquilla pace frui cœpissent, in media episcoporum frequentia irrepsere quædam gravissimis fœtæ contentionibus, de natura Christi quæstiones. Hinc, quasi ingens e parva scintilla incendium, per civitates et provincias Orientis mota jurgia, nec modo Ecclesiarum præsides sed populum ipsum christianum studia in diversa distractum cernere licuit. Interea paganorum multitudo his quibus poterant armis, ut videtur, tumultuantes et discordantes inter se christianos lacessebant, inductis, ut ex Eusebio colligi potest, in theatra personis quæ, christianorum mores, instituta et doctrinam ludibrio vertebant (3).

Non satis constanter Eusebius agere videtur, qui, cum tantam fuisse paganis christianos publice ludificandi libertatem significat, sublata e delubris simulacra, clausas templorum fores, ve-

(1) *Cod. Theodos.*, lib. VII, tit. 20, l. 1.
(2) *Panegyr. Vet.*, p. 261, 262, 275.
(3) Euseb., *Vit. Const.*, II, 60.

titumque a Constantino quodvis idolis sacrificandi genus paulo ante commemorat. Parum erim verisimile est eosdem homines, qui, ut christiani fierent, a templis et sacrificiis abstinere jubebantur; quibus aræ eversæ per milites, et expilata delubra quid vellet et nollet imperator clare denuntiabant, christianos libera luce, mediis in theatris ludibrio dare et conviciis impetere vel potuisse vel sustinuisse.

Quid vero Constantiniana docet moneta, de hac quam agitamus quæstione.

Sunt certe plurimi Constantini nummi qui veterum numinum imagines, et nomina exhibent, sed quorum tempus, quo percussi fuerunt, prorsus incognitum est. Eckhelius, quum de his nummis agit, quos vagos appellat (t. VIII, p. 78) hoc pro verisimili habet veteris cultus testimonia non ante ex Constantini magni Cæsarumque moneta exulare jussa fuisse, quam victo cæsoque Licinio, unus rerum potitus fuerit Constantinus. Itaque non temere aliquis nummos incerti temporis, quibus Deorum nomina et effigies insunt, usque ad annum 324 percussos fuisse asseret.

Non tamen hæc mera est et nullius ponderis conjectura. Nonnullos enim in Mediobarbi catalogis reperimus nummos quos annis 317, 318, 319 et 320 scriptor adscribit, quique altero latere Crispi aut Licinii junioris aut Constantini junioris, altero JOVIS OPTIMI MAXIMI VICTORIS, CONSERVATORIS AVGVSTORVM nomina et effigies præ se ferunt.

Denique Constantini nostri nummi exstant, anni V. C. 1073 P. Ch. 320 in quibus Pontificatus maximi fit mentio. Hic Eckhelium testem inducere satis erit (VIII, p. 75, 94).

Leges igitur, et allata prius testimonia etiam nummi confirmant : Nihil, reipsa, a Constantino, usque ad defunctum Licinium de veteri cultu fuisse publice mutatum.

CAPUT II.

A defuncto Licinio usque ad Constantini mortem.

Si scriptoribus ecclesiasticis, Eusebio in primis, fidem adhibeas, Constantinus, tanquam exspectavisset ut sese ostenderet, donec solus esset rerum arbiter, sublato demum Licinio, omnem simulationem omisit, nec amplius dubitavit, veteres ritus, quibus invito animo hactenus pepercerat, impugnare, eosque jam aperta vi evertere et abolere aggressus est. Tum, quos absconderat, animi sensus erupere, et erepta persona, quis revera esset patuit, paganæ nempe religionis manifestus hostis, christianæque rei studiosus propugnator. Tum *pectore ab imo veræ voces*, scilicet duo solemnia edicta exiere, quibus et vetera instituta et priores principes odio gravi onerabat, singularemque in christianos benevolentiam testabatur. Tunc omnes honores, omnia civilia et in palatio et in provinciis munera penes solos christianos jam fieri: Tunc novus rerum ordo nasci videbatur, et paulo ante emancipati, jam confidere christiani poterant eam venisse diem, qua, ut fama vetus ferebat, *Judæa profecti rerum potirentur* (1).

Illa tamen ætas aurea nondum christianis illuxerat, Eusebiusque ea potissimum, alterum Mosem, ut Constantinum appellat haud semel, scripsisse finxit quæ ipse sane cupiebat, non quæ reipsa imperator scripsit.

Nec apprime inter se congruunt quæ in his Eusebianis edictis continentur. Nunc enim omnes expulsos fuisse magistratus narrat qui vetera instituta sectabantur et civilia munia, nulli nisi christianis delata; nunc fuisse vetitum ne quis magistratus ad simulacra accederet, vel Deos more majorum sacrificiis

(1) Tacit., *Hist.*, v, 13.

publice coleret ; nunc prohibitum omnino quodvis sacrificandi genus, nunc vetita tantum occulta sacrificia et detestabilia idolatriæ scelera ; nunc concessam unicuique quos voluerit ritus exercendi potestatem (1). Nec facile est contraria inter se testimonia et adeo pugnantia componere. Aliud est enim occulta sacrificia et atrocia (τὰ μυσαρὰ τῆς εἰδωλολατρείας) prohibere, aliud omnis generis sacrificia, sive privata sive publica sint, et antiquitus usurpatos ritus et auguria publice et veteri ex more capta, et omnes statuarum dedicationes interdicere : multoque magis diversum est æqualem omnibus *sive piè de divinitate sentiant, sive de ea re errent* (οἱ πλανώμενοι) pacem et tranquillitatem concedere (2).

Equidem arbitror nec tantam vim Constantinum habuisse, ut antiquum rerum publicarum ordinem immutaret, neque etiam hanc in Republica perturbationem tentare voluisse, qui optime sciret non ita flexibiles et cereos hominum esse animos, ut ad nutum principis, antiqua majorum instituta deserant, qui etiam sciret nihil, ut ipse Lactantius docuerat (3), magis esse voluntarium quam religionem, nihil magis intractabile quam hominum mores, quos longa ætas informavit. Nec fieri poterat, ut talem violentiam perpessi *libertatis auctorem,* et *publicæ quietis fundatorem* et *piissimum* eum appellassent, qui ritus suos sustulisset, sua templa clausisset, suos Deos in exilium egisset, sibique ipsis eas, quæ in animis altissime insident, injurias inflixisset.

(1) Δύο κατὰ τὸ αὐτὸ ἐπέμποντο νόμοι· ὁ μὲν εἴργων τὰ μυσαρὰ τῆς κατὰ πόλιν καὶ χώρας τὸ παλαιὸν συντελουμένης εἰδωλολατρείας. ὡς μήτε ἐγέρσεις ξοάνων ποιεῖσθαι τολμᾷν, μήτε μαντείαις καὶ ταῖς ἄλλαις περιεργίαις ἐπιχειρεῖν, μήτε μὴν θύειν καθόλου μηδένα. (EUSEB., *Vit. Const*, II, 44.)

Ὁμοίαν τοῖς πιστεύουσιν οἱ πλανώμενοι χαίροντες λαμβανέτωσαν εἰρήνης τε καὶ ἡσυχίας ἀπόλαυσιν..... μηδεὶς τὸν ἕτερον παρενοχλείτω· ἕκαστος ὅπερ ἡ ψυχὴ βούλεται τοῦτο καὶ πραττέτω. (*Ibid.*, p. 53.)

Ἕκαστος ὅπερ πείσας ἑαυτὸν ἀναδέδεκται τούτῳ τὸν ἕτερον μὴ καταβλαπτέτω, ὅπερ ἕτερος εἶδε τε καὶ ἐνόησε· τούτῳ τὸν πλήσιον εἰ μὲν γενέσθαι δύνατον, ὠφελείτω, εἰ δ' ἀδύνατον παραπεμπέσθω. (*Ibid*. p. 59.)

(2) Loco sup. citat.

(3) LACTANT., *Inst. divin.*, v, 20.

Vetuit forsan imperator quod annis 319 et 321 jam vetuerat, videlicet ne quis privatim et secreto sacra faceret, et intra domum consuleret haruspices, nec aliud ex Eusebio intelligi potest cum *occulta sacrificia et atrocia idolatriæ scelera* prohibita fuisse asserit. Mansit tamen publicorum sacrificiorum communis licentia, mansit publicus et solemnis haruspicinæ usus, aliaque, quæ non modo leges supra memoratæ non vetabant, verum etiam fieri veteri de more permittebant.

Quod si contendas non posse colligi ex iis legibus, annis 319 et 321 editis, quibus Constantinus publice religionem exercendi potestatem paganis dabat, eum anno 324 eadem in paganos facilitate usum esse, nec fieri posse ut nulla Eusebiani testimonii ratio habeatur, quo imperatorem fores templorum clausisse, et sustulisse simulacra apertissime declarat : respondebimus eumdem Eusebium loco eodem, et omnino vetita sacrificia et concessam cuique quos voluerit ritus sequendi licentiam simul complecti, nec apparere quomodo res adeo dissociabiles misceri possent, nec quemadmodum dijudicari queat, ex duobus contrariis testimoniis, utri potissimum fides sit adhibenda. Cum igitur de vetitis a Constantino publicis paganorum sacrificiis codex Theodosianus taceat, nec sint unius tenoris tradita ab Eusebio Constantini edicta neque inter se conveniant, jure concludi posse putamus nihil de veteri consuetudine fuisse tunc temporis mutatum, et licitum mansisse quod nulla lex prohibuisse deprehenditur.

Qua in re non conjecturam temere sequimur. Idem enim Eusebius, in ea oratione qua facit Constantinum usum coram Sanctorum cœtu, imperatorem ipsum inducit paganos in hunc modum compellantem : « Ite ergo impii, id enim vobis integrum est, et proposita impunitate liberum, ite, et ad hostiarum cædes, adque commissationes, festaque et pocula vosmetipsos conferte, pietatis speciem professi; voluptates colite, et sub falso sacrificiorum obtentu, intemperantiæ et libidinibus inservite (1). »

(1) Ἄπιτε δὴ δυσσεβεῖς· ἐφεῖται γὰρ ὑμῖν διὰ τὴν ἀτιμώρητον ἁμαρτίαν, ἐπὶ τὰς τῶν ἱερείων σφαγὰς, θοίνας τε καὶ ἑορτὰς καὶ μέθας, προσποιούμενοι μὲν θρησκείαν.... (Euseb., *Const.*, *Or. ad sanct. Cœt.*, x)

Nonne his in verbis, post exstinctum certe Licinium scriptis recitatis ve, quasi expressa imago est hujusce loci quem ex constitutione Constantini supra descripta omnes norunt : « Adite aras atque delubra, et consuetudinis vestræ celebrate solemnia. » Paganos Constantinus impios (δυσσεβεῖς) appellat, ut antea pagani christianos, et profecto mirum admodum esset si, interprete Eusebio, oratio aliter se haberet. Non verba ipsa expendimus, an contumeliosa sint necne, sed quid reipsa valeant. Nemo autem negare possit verba hæc legi datæ anno 319 optime consentire. Facile est igitur Eusebio Eusebium opponere, eumque variis locis, interdumque fere iisdem, sibi ipsi contradicentem deprehendere.

Parum tamen esset si nihil aliud suppeteret. Est autem in codice Theodosiano lex Constantini ipsius quæ nostram sententiam confirmat, quamque hic adscribam.

Constantinus A. Secundo P. P.

« Provinciarum judices commoneri præcipimus, ut nihil a « se novi operis ordinari ante debere cognoscant, quam ea « compleverint quæ a decessoribus inchoata sunt : *exceptis* « *duntaxat templorum ædificationibus*. Datum III kalend. « jul. Constantino A. VII et Constantio Cæsare Coss. (326) (1). »

Hac lege, nova opera excitare, sumptu scilicet publico, rectores provinciarum vetantur, antequam absoluta sint quæ decessores inchoaverint. Excipiuntur tantum templa (2). Quæ vero templa? Paganorumne an christianorum Constantinus intelligit? Si quis ad verbum ipsum quo Constantinus hic utitur, et ad tempora et ad personas attendere voluerit, minime dubitabit quin de gentilium sacris ædibus hic agatur. Templo-

(1) *Cod. Theodos.*, lib. xv, tit. 1, l. 3.

(2) Non intelligere facile possum quomodo recentissimus auctor (M Ét. Chastel, *Destruction du Paganisme en Orient*, Paris, 1850, p. 69) hanc legem ita interpretetur, ut dicat Constantinum omnia opera inchoata compleri jussisse, exceptis duntaxat templis. Ex ipsis legis verbis perspicitur, mea quidem sententia, longe aliter se rem habuisse ; et potuisse etiam nova templa ædificari, licet alia monumenta inchoata penderent.

rum enim appellatione hoc ævo gentilium templa proprie intelligenda sunt, ut docet ejusdem codicis Theodosiani titulus *de Paganis, sacrificiis et templis* oppositus titulo *de episcopis, ecclesiis et clericis*, et lex 1 *de fide catholica* et verborum communis usus. *Ecclesiæ domus*, vel *piæ domus* vel *civitatis Ecclesiæ*, vel *venerabiles Ecclesiæ*, de sacris Christianorum ædibus : *templa* aut *delubra* de paganorum ædibus sacris dici solent. Præterea tempora adhuc ista sub Constantino Magno et quidem hoc anno 326 fuere, uti et civitates pleræque magnam partem, et judices, quibus hæc lex scripta est, plerique gentiles essent. Hæc Gothofredus de hac lege notat (1) nec video cur rem post ea dubiam relinquat, nec planius et explicatius affirmet hic de paganorum certe sacris agi. Quibus enim ritus suos libere et publice exercere permittebatur, nonne iis templa erant, quæ si terræ motu vel incendio diruta essent, ex integro ædificari oportebat ; si vetustate collapsa, reparari et in pristinam faciem restitui. Et cum postea, Tib. Fabius Tatianus vir clarissimus qui fasces anno 337, et Urbis præfecturam anno 340 gesserat *templum Remi in via sacra restituendum curasse* (2) ; cum Vettius Prætextatus vir clarissimus, præfectus Urbi anno 367 Deorum CONSENTIVM SACROSANCTA SIMVLACRA cum omni loci cultu, Romæ restituisse deprehenditur (3) ; cum postea tres flamines perpetui sub Valente et Valentiniano imperatoribus, maximi in Africa templi porticus, curante consulari viro, exornasse et perfecisse et dedicasse et opus hoc solemni inscriptione memoriæ mandasse reperiuntur (4) ; cum eodem tempore et sub iisdem

(1) *Cod. Theod.*, t. V, p. 281.

(2) *Orell.*, nº 17.

(3) *Orell.*, t. III HENZEN., nº 5083.

(4) PRO MAGNIFICERTIA SAECVLI DD NN VALENTINIANI ET VALENTIS SEMPER AVGVSTORVM quat || TVOR PORTICVS CAPITOLI SERIE VETVSTATIS ABSVMPTAS ET VSQVE AD IMA FVNDAMENTA Corruptas || NOVO OPERE PERFECTAS EXORNATASQVE DEDICAVIT PVBLILIVS CAEIONIVS CAECIna iulia || NVS VIR CLARISSIMVS COR VLABIS CVRANTIBVS AELIO IVLIANO ITERVM REIPVBLICAE Curatore || FL AQVILINO FF PP ANTONINO PETRONIANO FF PP JANVLARIANO (sic) FF PP.

In Ruinis porticus Orientalis magni templi, Thamugas ; — *Inscript. rom. de l'Algérie*, M. Léon RENIER, fasciculus 5, p. 178 ; — volumen tertium *Collect. Orellianæ*, ed. G. Henzen., nº 6980.

imperatoribus vir clarissimus, causarum Africani tribunalis orator et in consistorio principum magister libellorum et cognitionum sacrarum, se taurobolio criobolioque in æternum renatum testaretur, et Dis magnis, matri Deum et Attidi aram publice sacrare præsumeret (1) ; cum hæc et alia ejusdem generis eadem tempestate vulgo occurrant ; possumusne dubitare quin, imperante Constantino, cum pagani numero, opibus, viribusque multo magis valerent, opera hujus modi, scilicet templorum ædificationes et instaurationes, et sacellorum dedicationes et jussæ fuerint et haud semel factæ ?

Leges igitur quas annis 319 et 321 de Paganorum sacris Constantinus dederat, hoc anno 326 etiam manebant, neque quisquam a sacrificiis, dummodo in omnium conspectu fierent, prohibebatur.

Cum hoc vero, quod Eusebius refert, non nisi christianis officia, honores et publica munera a Constantino delata fuisse, non consonare videntur epigraphica testimonia. Nonnullos enim apud Orellium invenimus clarissimos viros, consulares, urbis præfectos, in provinciis, imperante Constantino, legatos vel correctores, qui non modo a christianis sacris alieni deprehenduntur, ut Cæionius Rufus Albinus (consul anno 335 qui philosophus nuncupatur — Orell., n° 3111), verum etiam qui veterum numinum ministeriis dicuntur inserviisse. Ita Julius Rufinianus Ablavius Tatianus ADLECTVS INTER CONSVLARES IVDICIO DIVI CONSTANTINI PONTIFEX VESTÆ MATRIS ET IN COLLEGIO PONTIFICVM PROMAGISTER ET SACERDOS HERCVLIS inscribitur (Orell., 1181). Ita Vettius Rufinus urbis præfectus anno 319, consul anno 323, PONTIFEX DEI SOLIS, AVGVR MIN. PALATINVS dicitur (Orell., 2285). Ita Memmius Vitrasius Orfitus, vir clarissimus, præfectus Urbi sub Constantio, anno videlicet 353, et omnibus honoribus AB IPSA IVVENTVTE PERFVNCTO (scilicet sub Constan-

(1) Hæc dedicatio fiebat Valente V et Valentiniano juniore Coss. scilicet anno post Christ. 376. (*Orell.*, n° 2352.)

Sequens titulus (*Orell.*, 2353) item Magnæ Deum Matri Idææ et Attidi aram dedicatam testatur Gratiano V et Merobaude Coss. scilicet anno 377.

Aliæ dedicationes M. D. M. I. et Attidi et Mithræ post Constantinum factæ apud Orellium passim inveniuntur., 1900, 1901, 2264.

tino) PONTIFEX MAJOR VESTAE XVVIR S. F. et PONTIFEX SOLIS reperitur (Orell., 3184, 3185). Ita et Mœcius Memmius Furius Balburius Cœcilianus Placidus, consul anno 343 sub Constantino certe CORRECTOR VENETIARVM et HYSTRIAE tunc temporis PONTIFEX MAIOR, AVGVR PVBLICVS P. R. QVIRITIVM XVVIR SACRIS FACIVNDIS fuit (Orell., 3191). Ita et Q. Flavius Mœsius Egnatius Lollianus, præfectus Urbi anno 342, AVGVR PVBLICVS POPVLI ROMANI QVIRITIVM sub Constantino certe (Orell., 3162) et prætor Urbanus exstitit.

Dici igitur et merito potest nec dimotos muneribus qui veteres ritus ejurare noluerunt, nec solos christianos publicis honoribus a Constantino affectos fuisse.

Item est de gladiatoriis ludis, quos omnino Constantinum vetuisse omnes fere scriptores referunt, quamvis apud omnes constet, ut post Francos devictos, francicos ludos, ita debellata Sarmatia, sarmaticos ab ipso imperatore anno 322 institutos fuisse. Ecclesiasticis tamen scriptoribus auctoritatem præbuisse videtur lex ista, quam anno 325, paulo post Nicænum concilium, Beryti propositam habemus.

Imp. Constantinus A. Maximo P. F. P.

« Cruenta spectacula in otio civili et domestica quiete non « placent : quapropter omnino gladiatores esse prohibe- « mus, eos qui forte delictorum causa hanc conditionem atque « sententiam mereri consueverant, metallo magis facies in- « servire, ut sine sanguine suorum scelerum pœnas agnos- « cant. P. P. Beryti kal. octob. Paulino et Juliano Coss. « 325 (1). »

Non ego hanc legem spuriam dicere ausim, neque scio an in sola urbe, ubi proposita fuit vim habuerit. Nam, quum tot et tanta testimonia et in legibus posterioribus et in scriptis lapidibus repugnent, nemo, ut opinor, contendere potest in omni unquam imperio, Constantino imperante, eam legem stetisse, et servatam fuisse. Quis enim Telemachum nescit,

(1) *Cod. Theodos.*, lib. XV, tit. 12, l. 1 ; — *Cod. Just.*, lib. XI, tit. 43, l. 1.

in arenam sub Honorio irruisse et gladiatorum mucrones in se convertisse?

Quod si dicas in Oriente tantum prohibitas fuisse a Constantino gladiatoriorum munerum editiones, Libanium adducam qui in civitate Antiochensium, cum quintum decimum annum ageret, gladiatorios ludos celebratos fuisse narrat, nempe anno 328 (1). Si vero contenderis eas solemnitates multitudini ubique gratissimas, ignorante Constantino, aliquando peractas fuisse, aut saltem connivente; atque de ista lege non aliter actum, ac de illis quibus malas veneficorum artes vetuerat, cum tamen et mathematici, teste Eusebio (2), impune et consuli et respondere perseveraverint, quasi imperator consentiret; ipsum Constantinum in testimonium citabo, qui longo rescripto quod doctissimus Cavedonius non ante annum 333 editum affirmat (3) quodque hic integrum inserere prope infinitum est, privilegia quædam Italico oppido concedit, inter quæ gladiatorii muneris exhibendi singulis annis potestatem.

Quiquidem titulus Hispelli in tabula marmorea prægrandi, prope theatrum antiqum repertus, a Muratorio temere explosus, cujus sententiam Orellius secutus est, defensus a Mommsenio et denique ab Henzenio exploratus et probatus, maximi est ad nostrum propositum, momenti.

Nempe Tusciam et Umbriam sub administratione unius correctoris conjunctas annua concilia habuisse hic titulus docet, quibus ludi scenici et gladiatoria spectacula a sacerdotibus edebantur. Hi sacerdotes singuli *per annorum vices* a singulis populis creabantur, atque *coronati* (4) Umbriæ et

(1) LIBANIUS, *De vita sua* ed. Fed. Morello, Lut. 1627, pag. 3.

(2) EUSEB., *Vit Const.*, IV, 31.

(3) « Il Ch. Henzen avverte che riguardo alla data di questo rescritto imperiale altro non può affermarsi se non che sia posteriore alla morte di Crispo avvenuta nel 326. A me par certo che non possa dirsi anteriore al 333 nel quale Costante, che vi si nomina insieme co' due suoi fratelli maggiori, fu dal padre dichiarato Cesare. — p. 7 in notula. » (*Ricerche critiche intorno alle medaglie di Costantino Magno e de' suoi figliuoli insignite di tipi e di simboli cristiani*, da C. CAVEDONI, Modena, 1858)

(4) Vide de his sacerdotibus, qui coronati appellantur apud *Orellium*, titulum 3866.

Tusciæ nuncupabantur. Cum autem hi ludi et hæc gladiatoria munera apud Vulsinios in Tuscia exhiberentur, nec in Umbria editiones celebrari liceret, sacerdotemque Umbriæ, per ardua montium et difficultates itinerum saltuosas, Vulsinios petere cum multo impendio necesse esset, Hispellates ab imperatore petierunt, ut sibi quoque in Umbria ludos edere permitteret et civitati suæ, de gentis Flaviæ nomine appellationem inderet, quæ omnia Constantinus CONSVETVDINIS PRISCAE, ut inscribitur, reverentior, concessit.

> SCILICET VT IN POSTERVM PRAEDICTA VRBS (hispellum) FLAVIA CONSTANS VOCETVR IN CVIVS GREMIO AEDEM QVOQVE FLAVIAE HOC EST NOSTRAE GEN TIS VT DESIDERATIS MAGNIFICO OPERE PERFICI VOLVMVS EA OBSERVATIONE PERSCRIPTA NE AE DIS NOSTRO NOMINI DEDICATA CVIVSQVAM CON TAGIOSE [1] SVPERSTITIONIS FRAVDIBVS POLLVATVR CONSEQVENTER ETIAM EDITIONVM IN PRAE DICTA CIVITATE EXIBENDORVM (2) VOBIS LICENTIAM DEDIMVS SCILICET VT SICVTI DICTVM EST PER VICES TEMPORIS SOLLEM NITAS EDITIONVM VVLSINIOS QVOQVE NON DE SERAT VBI CREATI [3] E TVSCIA SACERDOTIBVS MEMO RATA CELEBRITAS EXHIBENDA EST ITA QVIPPE NEC VETERIBVS INSTITVTIS PLVRIMVM VIDEBITVR DEROGATVM ET VOS QVI OB PRAEDICTAS CAVSAS NOBIS SVPPLICES EXTITITIS EA QVAE INPEN DIO POSTVLASTIS IMPETRATA ESSE GAVDE BITIS (4).

Quænam igitur, viso hoc Constantini rescripto, testimoniorum Eusebii ratio habenda est, qui omnino vetitum fuisse ab imperatore tradit, ne civitates crudeli et impia gladiatorum cæde

(1) Sic pro contagiosæ.
(2) Sic pro exhibendarum.
(3) Sic pro creatis.
(4) G. Henzen., IIIe vol. *Coll. Orellianæ*, p. 115. no 5580.

contaminarentur (1)? Quid etiam de prædicta lege, Beryti proposita cogitandum, cum videamus in Tuscia apud Vulsinios a sacerdotibus quibusdam, ex prisca consuetudine, gladiatorios ludos quotannis fuisse celebratos, et Umbriæ sacerdotem, ut his solemnitatibus admodum paganis adesset, Vulsinios se conferre coactum; et Umbriæ, Hispellatiumque civitati, cui antea non liceret, exhibendorum talium ludorum potestatem ab ipso imperatore concessam?

Idem hoc rescriptum, etiam si lex anni 326 paulo ante memorata desideraretur, satis nos moneret, quam parce ecclesiasticorum scriptorum dictis de veteribus Reipublicæ sacris, quæ certatim omnes et a Constantino detestata et sublata referunt, credendum sit. Hic enim Constantinum videre est nec priscæ consuetudinis contemptorem nec depulsorem, cum *ædem Flaviæ genti* magnifico opere perfici, cum et in *Tuscia et in Umbria a sacerdotibus sacrorum ludorum solemnitates procurari jubeat*, cum *vetera ipse instituta alleget*, quibus, Hispellatensium sacrorum sancita celebratione, non plurimum derogari videtur. Quod si simul vetat *ne sibi dedicata ædis ullius contagiosæ superstitionis fraudibus polluatur;* hoc loco eadem forsan intelligit quæ Eusebius τὰ μυσαρὰ τῆς εἰδωλολατρείας appellat, vel ne ante ipsius statuam victimarum immolationes fierent, neve, ut in privatorum domibus, arioli consulerentur et malas artes exercerent. Quod vero spectat ad statuæ hujusce adorationem (nam sine dubio illius ædis cella non omnino vacua erat) et ad factas ture supplicationes, aliaque ejusdem generis puerilia et innocua, haud scio an æque prohibuerit.

Cavedonius in prædicta dissertatiuncula huic insignis illius rescripti loco innititur, quo manifestius faciat quod excusi post annum 323 Constantiniani nummi indicare videntur, nullum nempe veteris pagani cultus ea tempestate vestigium jam manere (*si arguisce..... che non serbano traccia veruna dell' antico cultu pagano* (2). Hoc ego pro comperto habere nullo modo possum, nec tale aliquid ex hoc præsertim res-

(1) Euseb., *V.t. Const.*, iv, 25.
(2) Opusculo citato.

cripto concludi posse arbitror. Quid enim sibi vult ædes illa, Constantino auctore, genti Flaviæ consecrata? Num christianum sacellum erat, ad christianorum preces dedicatum? Quinam illi et in Tuscia et in Umbria *per annorum vices a populo creati sacerdotes?* Num et christiani erant, et qui scenicis ludis, cruentisque gladiatorum spectaculis, ex prisca consuetudine præerant, iidem christiana exercebant sacra? Minime certe, et quamvis non satis constet quas superstitiones exercere vetarentur, non dubium est tamen, quin et pagani fuerint, et ritus aliquos paganos, in æde pagana tractaverint. Hoc fanum, hi sacerdotes, ejusdem, ut puto, generis erant, cujus fuerant olim templum et sacerdotium Romæ et in Africa, teste Sexto Aurelio Victore, Constantino, post victum Maxentium, decreta.

Attamen quamvis Constantinus ita temporum et humanæ naturæ gnarus esset, ut antiquos ritus omnibus prope civilibus rebus mixtos et a plerisque adhuc asservatos decreto et quasi unius legis ictu everti non posse optime sciret, non sibi ipsi adeo temperabat, ut *irrisor* (1) princeps, pietatem quam animo non profitebatur simularet. Anno 336, Romæ degens, quum forte propter Vicennalia, quæ anno superiore Nicææ celebrata fuerant, cohortes in Capitolium, sacrificii causa, essent deducendæ, res ex more peracta est (2), at non modo non præeunte Constantino, sed etiam pompam apertius irridente. Aliud est autem a sacris abstinere, aliud jubere ut ab iis omnes abstineant, nec is, qui templa perficienda curabat, et ipse observabat ne quid inhumane aut fraudulenter, sub religionis specie, in occulto fieret, de abolenda penitus pristina religione cogitare videbatur. At eo quod in media solemnitatis pompa non viseretur, christianis, ut conjicio, eum jamdiu suum esse et veteris idolatriæ eversorem prædicantibus, institutorum priorum et majorum religionis aut negligens aut contemptor manifestus apparebat.

Exarsere animi, et ea sola quam habuere in principem libertate abusi, omnes conviciis et contumeliosis verbis Constanti-

(1) Aurel. Victor, epit. 41.
(2) Vid. in *Cod. Theodos.* (lib. xv, tit. 1, l. 3) Gothofredi notulam.

num incessebant, ac parum abfuit, quin impetu facto in turbulentos crudeliter sæviretur. Nec communia populi senatusque Romani odia, peractæ tunc in palatio tragœdiæ mitigaverunt. Nec diu Romæ moratus, Constantinus ab urbe discessit, et verisimile arbitror eum propter hoc jam novæ condendæ in Oriente metropoli acrius institisse.

Auspicalem urbis Constantinopolis lapidem anno 328 aut 329 imperator posuit, alteramque Romam anno 330 dedicavit, in cujus dedicationis solemnitate circenses fuerunt, pagano more.

Hic nova eaque alicujus momenti oritur quœstio.

Templane Deorum, et paganis obsequiis consecrata delubra in Constantiniana urbe fuere?

Multi sunt qui de hac quæstione in hunc modum disputent: Constantinus post visam inter nubes crucem, jam ante victum Maxentium, sese christianis sacris addixerat. Postea, victo et sublato Licinio, unus Romanarum rerum arbiter factus, omni abjecta simullatione, templa claudi, simulacra dejici vel auferri, sacram pecuniam publicari, vasa templorum quæ ex auro aut argento constabant eripi aut conflari, omniaque sacrificia aboleri jussit. Quæ cum sanxisset et eo esset adversus paganos ritus animo, nihil certe committere poterat quod ab homine christiano esset alienum. Constantinopolis igitur, ut a christiano imperatore condita, urbs christianissima fuit et templis ac simulacris omnique pagani cultus indicio omnino vacua (1).

Hoc est sane apte concluseque dicere, sed haud scio an vere. Nam si quis, omisso quod Constantinus de *divinitate,* ut ipse anno 325 dicebat (2), senserit, Constantini sanctiones vel leges afferat, quæ, non dico paganos sensus, sed civilem adversus vetera instituta patientiam liquide comprobent, quid, quæso, de speciosa argumentatione fiet? Hoc habent malum tales conclusiunculæ quod, si prima pars negatur aut refellitur, extrema perit.

Urbs Constantini, anno 330 dedicata, annis sequentibus et

(1) Tillemontius, *Hist. des Emp.*, iv, p. 233.

(2) *Cod. Theodos.*, ix, tit. 1, l. 4.

perfecta et exornata fuit, multamque et ex aliis Orientis urbibus et ex Italia ipsa commeantium multitudinem accepit, quos omnes ad unum fuisse christianos prorsus incredibile est et a vero alienum, quum Themistius postea, in omnibus fere orationibus templorum, et paganorum sacrorum mentionem faciat, et sub orationis sextæ finem, *Jovem utriusque Romæ custodem et præsidem appellet* (1) ; alio loco *iis cærimoniis* alludat *quibus quotannis præsides Agriculturæ Dii coluntur scilicet libationibus, sacrificiis, epulationibus, aliisque ejusmodi* (2) ; alio denique, *Mercurii et Musarum et Apollinis templa* Constantinopoli posita, balneis et theatris et ludis circensibus posthaberi queratur (3).

Attamen nullæ sunt, quod sciam, in Theodosiano et Justinianeo codicibus leges aut constitutiones quibus erigi in nova urbe templa sive paganis sive christianis sacris dedicata, Constantinus præceperit.

Ut vero ex legum aut rescriptorum auctoritatibus certum aliquid colligi potest, ita meminisse debemus anno 326 Constantinum lege jussisse ut sola paganorum templa inchoari liceret, omni alio opere publico posthabito ; anno 333, id est post conditam Constantinopolim, imperatorem per rescriptum præcepisse ut Hispelli in Umbria, ædes Flaviæ quidem genti dedicata, id est minime christiana, fieret ; postea, anno 335 alia lege sanxisse imperatorem, ne flamines et sacerdotes, id est paganorum sacrorum ministri curialium munerum oneribus subjicerentur, ea, ut puto, mente, ut sine ulla interpellatione divinis obsequiis deservire possent (4) ; deinde anno 337 alia item lege, æneis tabulis in-

(1) Ὦ βασιλεῦ Ζεῦ, ὦ πάτερ ἀνθρώπων, ὦ πολιοῦχε καὶ τῆς ἑώας Ῥώμης καὶ τῆς ἑσπερίας, φυλάττοις μὲν τῶν πόλεων τὴν ξυνωρίδα. (THEM., orat. 6, ed. Hard., p. 84.

Item sub finem orat. 13, Themistius Jovem et Minervam et Quirinum invocat. Etsi rhetorice de veteri religione Themistius loquatur, animadvertendum est eum paganis sæpissime numinibus alludere, dum de christianis omnino taceat.

(2) THEM., orat. 30, p. 349.

(3) THEM., orat. 24, p. 306.

(4) « Quoniam Afri Curiales conquesti sunt quosdam in suo corpore

cisa, Constantinum eam immunitatem iisdem paganorum ministris sacrorum, certam et ratam fecisse (1). Denique titulus quidem nos docet Constantinianis temporibus pagana templa non occulte sed publice et solemniter, et viro clarissimo, consulari, præfecto urbis, curante ædificari et dedicari (2). Denique post Constantini mortem fanum DIVO AVGVSTO.... PIO PATRI DOMINORVM scilicet Constantini junioris, Constantii et Constantii patri dedicabatur (3).

Ex his monumentis genuinis certe, si quæ sunt et verè Constantinianis, quid sequitur, quidve concludi jure potest? Nempe, meo quidem judicio, eodem omnino ordine et statu sacra pagana, quamdiu Constantinus vixit, in Republica mansisse : tantumque abfuisse ut imperator, templa exscinderet, et paganos ritus prohiberet, et paganorum sacrorum ministros violaret, ut contra iis consuluerit, eosque pristinis honoribus et privilegiis, quibus antea fruebantur, uti semper voluerit. Cumque privatis injuriis vexarentur non dubitasse imperatorem eos sua auctoritate tegere, monereque omnes, ne sibi placere arbitrarentur, cum ad indigna eos devolvere vellent, at contra sibi ipsi, per quem fiebant, inferre injuriam (4).

post *Flaminii honorem aut sacerdotii* vel magistratus decursa insignia, præpositos compelli fieri mansionum, quod in singulis curiis sequentis meriti et gradus homines implere consuerunt, jubemus nullum prædictis honoribus splendentem ad memoratum cogi obsequium : *ne nostro fieri judicio injuria videatur.* » (*Cod Theodos.*, XII, tit. 1, l. 21.)

(1) « *Sacerdotes et Flamines perpetuos* atque etiam Duumvirales ab annonarum præpositurls inferioribusque muneribus immunes esse præcipimus. Quod ut perpetua observatione firmetur, legem hanc incisam æneis tabulis jussimus publicari. P. P. XII kal. jun. Carthagine Feliciano et Tatiano Coss. 337. » (*Cod. Theodos.*, XII, tit. 5, l. 2.)

(2) In templo Remi, in via sacra Reg. IV :

TIB. FABIVS. TITIANVS.
V. C. CONS. P. PRAEF. VRB. CVRAVIT.

(ORELL., 17.)

(3) Mancus quidem hic titulus est, et in quo nomen imperatoris frustra requiras : sed cum Orellio Constantini nomen fuisse abrasum existimamus, nec Henzenius repugnat. Vid. ORELL., n° 602.

(4) « Ne nostro fieri judicio injuria videatur. » (In lege supra descripta.)

Jam vero si ad rerum scriptores animum attendimus, longe aliter se res videtur habuisse.

Eusebius enim Constantinum tradit non modo templa auro et argento spoliasse, sed e christianis nonnullos misisse quibus mandatum erat ut in ima et secreta templorum penetrarent, simulacra e fanorum cellis in lucem proferrent, aurea aut pretiosis ornamentis circumfusa, vel quæ ex ære conflata operis pulchritudine insignia erant, raperent auferrentque, delubra superstitionibus aut malis fraudibus infamia solo æquarent, quæ omnia facillime et nullo adversante perfecta sunt (1). Templa in Phenicia duo, unum in Cilicia, omni genere superstitionis et spurcitiæ famosa funditus fuere eversa (2), ipsa paganorum multitudine, quoniam nullus Deus intercedebat et ea defendebat, vana hæc omnia et inania prædicante et majorum suamque hesternam credulitatem irridente (3).

Passim videre erat veteres Deos, tanquam captivos, funibus trahi ; eaque simulacra, quæ religionem tamdiu excitaverant et expleverant, jam propter artem tantum aut materiam pro aliquo pretio habita, Constantinopolim importabantur, ut monumentis publicis aut foris aut porticibus alterius Romæ decori et ornamento fierent.

Pagani ipsi scriptores ne excisa quidem nominatim templa declarant, sed tunc temporis bellum sacris quodam modo indictum, temeratas fuisse Deorum religiones, spoliata quædam auro et ornamentis delubra insinuant, et quasdam statuas sacras in profanis admodum novæ urbis locis omnium spectaculo fuisse produnt.

Zosimus enim Castoris et Pollucis statuas in circi porticibus positas, et alia in parte circi Apollinis Delphici tripoden in se continentem ipsius Apollinis simulacrum (4) et intra curiam

(1) EUSEB., *Vit. Const.*, III, cap. 52; *De laudib. Const.*, vide cap. 8 integrum.

(2) EUSEB., *Vit. Const.*, III, 55, 54, 56. — SOCRAT., I, 14.

(3) EUSEB., *Vit. Const.*, III, 55. « Hoc prorsus incredibile : nec regnante Theodosio pagani templorum eversiones tam modeste et obsequenter tulisse videntur. » Vid. Soc., V, 16. (SOZOM., VII, 15.)

(4) ZOSIM., lib. II.

Musarum imagines, et ante fores curiæ Jovis et Minervæ simulacra locata refert (1).

Libanius, non assignato quidem tempore, primam incendii scintillam, quo deinde omnia exarsere, a Constantino suggestam fuisse memorat (2), et in eadem oratione multisque aliis locis pecuniam ad sacra gentilium pertinentem in Oriente expilatam, additasque sacerdotibus contumelias, columnasque templorum Constantinopolim transvectas significat (3). Item et Julianus temerata et spoliata a Constantino templa allegorice narrat (4) eumque apertius « *novatorem, turbatoremque priscarum legum et moris antiquitus recepti* » appellat (5).

Eunapius quoque Ædesium tradit, « ea tempestate propter temporum iniquitatem dissimulasse, quod tum Constantinus imperium regeret qui fana toto orbe celebratissima evertebat, et christianorum ædificia exstruebat (6). »

Denique in Constantii lege, quæ in codice Theodosiano legitur anno 341 edita, quaque cessare superstitionem et sacrificiorum aboleri insaniam jubetur, lex aliqua Constantini commemoratur, in hunc modum : « Quicumque *contra legem Divi parentis nostri* ausus fuerit sacrificia celebrare, competens in eum vindicta et præsens sententia exeratur (7). »

Ea certe de quibus consentiunt omnes pro veris accipienda sunt. Attamen hæc testimonia, cum neque plane inter se, neque legibus prædictisque titulis congruant, diligentius excutienda arbitror, ut quid sit, meo judicio, verissimum, quam maxime eluceat.

(1) Zosim., lib. v.

(2) Ὃς (Constantius Constantini filius) *παρὰ τοῦ πατρὸς σπινθῆρα κακῶν δεξάμενος*. (Liban., orat. xxv, *Apologet.*)

(3) Libanius, oratio *pro Templis* (edit. Sinner, *Delectus pat. Græc.*, p. 232, 233, 242); oratio *Parentalis* Fabric. *B. G.*, t. VIII, p. 284; epist. 730, 673.

(4) Julianus, oratio vii.

(5) Amm. Marcell., xxi, 10, 8.

(6) Κωνσταντῖνος *γὰρ ἐβασίλευε τά τε τῶν ἱερῶν ἐπιφανέστατα καταστρέφων καὶ τὰ τῶν Χριστιανῶν ἀνεγείρων οἰκήματα*. (Eunapius, *Vita Ædesii, Biblioth. græc.*, Didot, p. 461.)

(7) *Cod. Theodos.*, xvi, 10, 2.

Primum vero horum locorum aliquam rationem habendam puto : omnes enim coævos fere scriptores de rebus, quarum testes fuerunt, aut certa fama pernoscere potuerunt, errasse nec, verisimile est, nec contendere ausim.

Pro certo igitur habeo Constantinum et progrediente tempore magis ac magis a veteri cultu abhorruisse, et christianis sacris factum in dies fuisse propiorem. Nec res aliter fieri poterat, facta utriusque doctrinæ comparatione, quamvis id quadam rerum necessitate et ineluctabili veteris religionis prolapsione, evenisse potius quam peculiari Constantini optione, affirmari possit. Qui enim res in quo statu essent, plane callebat, nullum rebus eversis remedium esse intelligebat, nisi nova religione imperium sustineretur (1).

Constantinum jam parum sui studiosum sine dubio sensere pagani, cum eum anno 319 occulta sacrificia et privatum haruspicinæ usum severissime prohibentem viderunt. Latas a principe institutis veterum manifestissime addicto et solemnium sacrorum pie participe, tales leges nemo suspectas habere aut iniquo animo ferre potuisset, cum ea quæ vetabantur, sane illicita et jampridem vetita, etiam florente Republica fuissent. At Constantinus publica licitaque multis visus est obliqua insectatione impugnare, dum occulta, et mala, et illicita prohiberet. Nondum tamen crucis effigies et Christi monogramma in nummis apparuerat; imo Herculi, Marti, Jovi conservatori, soli invicto omnis imperii moneta sacra erat et insculpta veterum numinum ferebat simulacra, et anno 321 duabus legibus imperator in pristinam usurpationem, quasi paganorum animos recreare vellet, reverentiam testari videbatur. Mox vero a se magis alienum esse imperatorem deprehenderunt, cum eum christianorum disputationibus amice intervenientem viderunt, christianosque in omni re blande et comiter, ut clientes habentem. Nec fuit dubitationi locus, cum anno 326 Romam ingressus Constantinus non modo publicarum cærimoniarum particeps esse noluit, verum etiam sacram pompam equestrem verborum aculeis perstrinxit. Tum for-

(1) Ernst von Lasaulx, *der Untergang des Hellenismus*, p. 39-40. München, 1854.

tasse, ut conjicio, frigidum antea in religiones studium Romæ recaluit, et in mordaces iambos quemdam hominem veteris notæ impulit (1). Tum populi murmura et fremitus et conjectæ passim in principem coutumeliæ, jam in christiana sacra inclinantem ejus animum egere præcipitem, nedum ad vetera retraherent, cum ita natura comparatum sit ut hominum studia impedimentis accendantur, et acrius iis incumbere soleamus a quibus vi et injuriis deterreamur.

Cum vero in offensionem Constantini magis in dies pagani incurrerent, christiani blanditiis et omni adulationis genere eum afficientes, secundiorem et benigniorem vicissim experiebantur, in eo spem totam Reipublicæ reparandæ et temporum inchoandæ felicitatis sitam esse prædicantes. Et quanquam jam ejus animi impotentiam arrogantiamque in causis ad sacra sua pertinentibus senserant, faciles tamen et ad obsequium paratos se gerebant, nec ejus, quem patronum existimabant, imperium aspernabantur. Ita necessitudinis cujusdam vincula inter Constantinum et christianos sensim extitere, quæ quo magis a veteri consuetudine princeps refugiebat, eo arctiora fiebant.

Nec tamen Constantinus adeo temporum ignarus erat ut antiquas Deorum religiones prohiberi et penitus aboleri posse putaret, nec adeo quieti communi et paci publicæ infensus, ut, quas omnino sustulerat, persecutiones in paganos detorquere et omnia iterum permiscere destinaret; nec adeo laudis et famæ incuriosus ut publica odia vellet provocare; non adeo cæcus præsentiumque rerum rudis, ut infinitam prope paganorum multitudinem, se jubente, et docentibus christianis, a majorum observantia discessuram subito, novaque instituta amplexuram esse confideret. Id non legum sed longi temporis opus fore optime noverat. Quapropter, quamvis Eusebius et Socrates nonnullique alii ita factum fuisse valde affirment, nullam latam fuisse a Constantino legem arbitror, qua sacra

(1) Notissimi hi versus muris Romæ affixi :

Saturni aurea secla quis requirat?
Sunt hæc gemmea, sed Neroniana.

(Sidonius Apollinaris, I, 8.)

omnino paganorum fieri vetaretur. Cujus quidem legis mentio certe esset apud scriptores paganos male in christianos, atque in Constantinum animatos, quibusque ea, quæ malefacta ejus habent, licet levia aggravare, potius quam extenuare placet (1).

At enim quid Constantius significare voluit, cum divi parentis sui legem contra sacrificia, ad memoriam omnium revocaret? Quid de templis Aphacensium, Heliopolitanorum in Phenicia, Ægeorum in Cilicia disturbatis, ut nominatim refertur, cogitandum? Quid de sacra pecunia expilata, quid de divulsis transvectisque simulacris et columnis fanorum? Hæc omnia pro commentis somniisque meris habenda sunt?

Minime, ut opinor. Quod ad legem attinet quam Constantius commemorat, non ad sacra omnia publica et omnis generis eam spectasse puto, sed tantum ad *superstitionum detestabilem insaniam* et ad maleficia quæ jam antea Constantinus vetuerat, quæque semper evulsa, continuo aliorum fraude, aliorum credulitate interposita renascebantur. Malas vero veneficorum artes damnare, longe aliud est ac publicos religionum ritus prohibere. Pagani ipsi scriptores cum Constantium laudaverint, quod in fraudum artifices et in præstigias circulatorum sævierit (2), non Constantinum culpare poterant quod eodem in eos animo esset, nec tali certe prohibitione læsam arbitrabantur publicorum sacrorum observantiam. Nec aliter intelligo quæ de tribus templis erutis narrantur. Nempe ea verti jussit imperator ut totam regionem sordibus et omnium flagitiorum et turpitudinis labe purgaret. Non religionem extirpari, sed vitia deleri, non templa, sed superstitionum sentinam optimo cuique gravem; non sancta Deorum

(1) At contra in Libanii oratione quæ *pro templis* inscribitur, id insigne testimonium reperitur de Constantino : Εἰς μὲν τὴν τῆς πόλεως περὶ ἣν ἐσπούδασε, ποίησιν, τοῖς ἱεροῖς ἐχρήσατο χρήμασι, τῆς κατὰ νόμους δὲ θεραπείας ἐκίνησεν οὐδὲν ἕν· ἀλλ' ἦν μὲν ἐν τοῖς ἱεροῖς πενία· παρῆν δὲ ὁρᾷν ἅπαντα τ' ἄλλα πληρούμενα. (Edit. Sinner, p. 232-233.)

Et alio ejusdem orationis loco : Οὐκ ἐπὶ τὰς θυσίας προῆλθε. (*Id.*, p. 242.

(2) LIBANIUS, Βασιλικός, pag. 79.

majestate delubra, sed scelerum et nequitiæ officinam everti præcepit. Tiberius sane non sacrilegus Romanæ religionis depulsor quondam habebatur, sed læsæ divinæ majestatis vindex, quum post sacerdotum fraudes, Isidis templum, quæ scena flagitii fuerat, solo æquari et Deæ simulacrum in Tiberim demitti juberet (1). Cur enim in hæc tantum tria templa Constantinus sæviit? Cur sexcentis aliis, adhuc sub Theodosio stantibus, et majoribus et concursu hominum celebrioribus pepercit, nisi quod res sacras non tam violare quam corrigere et purgare voluerit? Nec tamen qua mente id ageret manifestum est, quanquam propius vero est eum iniqua mente egisse. Nempe post factas ut aiunt amplissimas Ecclesiis largitiones et annua congiaria iisdem concessa, cum, vacuo ærario, novæ urbi exstruendæ ornandæque necessarios sumptus suggerere non posset, pecuniam sacram et argentea aureaque vasa templorum detrahere, instigantibus forsan christianis, non dubitavit, iisque ultro quasi ex ejus auctoritate rapientibus non satis moderatus est. Tum sine dubio eæ quas acerbe pagani scriptores conqueruntur, nonnullis in templis, Orientis præsertim, direptiones, quas privatas et ultra quam voluisset princeps factas, licet affirmare. Testis est Libanius qui prodit habitas sub Juliano de compilata quondam sacra pecunia a christianis cognitiones (2). Testes sunt datæ a Constantio et Constante in exordio imperii leges adversus sepulchrorum violatores. Testis præcipue insignis Constantii constitutio, qua de violatis sepulcris inquiri jubebat ex eo tempore, quo Dalmatius et Zenophilus consules erant, anno 333 (3). Nimi-

(1) JOSEPHUS, *Antiq. Judaic.*, lib. XVIII, c. 5.

(2) LIBAN., epist. 730, 673.

(3) Ad propositum referre arbitror hic integram hanc Constantii constitutionem inserere.

Constitutio Constantii A. ad Limenium P. P.

« Factum solitum sanguine vindicari multæ inflictione corrigimus, atque ita supplicium statuimus in futurum, ut nec ille absit a pœna, qui ante commisit. Universi itaque, *qui de monumentis columnas vel marmora abstulerunt, vel coquendæ calcis gratia lapides dejecerunt, ex consulatu scilicet Dalmatii et Zenophili*, singulas libras auri per sin-

rum ea corrigere et gravi animadversione punire Constantini filius noluisset, quæ expresso patris jussu patrata fuissent. Testis Theodoretus qui diaconum Cyrillum memorat divinitus instinctum plurima in Phenicia, Constantino imperante, fregisse simulacra (1). Multas igitur per speciem religionis factas tunc rapinas fuisse, multas eversas numinum imagines, multos sacerdotes acerbissime vexatos, verisimillimum est, remittente potius quam jubente Constantino, qui eo quod pateretur impune, conscius videri poterat. Sed quod privatorum vitium est, non id principi et legibus licet adscribere. Si pro immolatis per tot annos christianis aliquid molestiæ paganis sacerdotibus redditum, non inde sequitur bellum Romanæ religioni, jubente et instigante Constantino, publice indictum fuisse. Ablata nonnusquam simulacra, sacræque columnæ ereptæ, etiam auctore Constantino, nihil aliud, ut opinor, nisi

gula sepulcra fisci rationibus inferant, investigati per prudentiæ tuæ judicium. Eadem etiam pœna, qui dissiparunt vel ornatum minuerunt, teneantur; et qui posita in agris suis monumenta calcis coctoribus vendiderunt, una cum his, qui ausi sunt comparare, *quidquid enim attingi nefas est, non sine piaculo comparatur;* sed ita ut ab utroque una libra postuletur. Sed si ex præcepto judicum monumenta dejecta sunt, ne sub specie publicæ fabricationis pœna vitetur, eosdem judices jubemus hanc multam agnoscere; nam ex vectigalibus vel aliis titulis ædificare debuerunt. Quod si aliquis, multam metuens, sepulcri ruinas terræ congestione celaverit, et non intra statutum ab excellentia tua tempus confessus sit, ab alio proditus duas auri libras cogatur inferre. Qui vero *libellis datis a pontificibus impetrarunt, ut reparationis gratia labentia sepulcra deponerent,* si vera docuerunt, ab illatione multæ separentur: at si in usum alium depositis abusi sunt, teneantur pœna præscripta. Hoc in posterum observando, ut in Provinciis locorum judices; *in urba Roma cum pontificibus tua celsitudo inspiciat, si per sarturas succurrendum sit alicui monumento;* ut ita demum data licentia, tempus etiam consummando operi statuatur. Quod si aliquis contra sanctionem clementiæ nostræ sepulcrum læsurus attigerit, viginti libras auri largitionibus nostris cogatur inferre. Locorum autem judices si hæc observare neglexerint, non minus nota quam statuta in sepulcrorum violatores pœna grassetur. » — Dat. V. Kal. April. Limenio et Catullino, Coss. 349. (*Cod. Theodos*, lib. IX, tit. 17, l. 2.) — Hanc legem Constanti Gothofredus, Constantio Böckingius adscribit.

(1) Theodor., *Hist. eccles.*, III, 6.

sacra vetera parvi fecisse imperatorem comprobant, præcipue cum hæc exempla rarissima fuisse, pro templorum multitudine constet. Sub ipso Theodosio si quid Libanio creditur, ea tantum sacrificia quæ fuso pecudum sanguine fiebant, non omnino sacrificia vetabantur. Non ignes aris ejicibiantur; ture, nidore atque fumo sacrificare permittebatur (1); queriturque Libanius quod οἱ μελανειμονοῦντες ut ait, imperatis jussa ubique flagitiose excedant (2). Quin etiam, Romæ et Alexandriæ, in ipsis, ut ita dicam, veteris cultus et in Occidente et in Oriente castellis, omnia sacrificia, idem scriptor solito de more fieri testatur (3).

Sanctus Augustinus nullum a Constantino erectum fuisse in nova urbe templum asserit (4) : sed repugnat liquidissimum Zosimi testimonium, quod non video quomodo rejici possit. Omissis enim Castoris et Pollucis imaginibus, quas sub porticibus Hippodromi, fortasse per ludibrium positas refert, duo templa in foro a Constantino ædificata fuisse tradit, quorum in altero *Magnæ Matris Deûm effigies,* in altero *simulacrum Fortunæ urbis* conspiciebatur (5).

Cangius hunc Zosimi locum ita interpretatur, ut ab eo templa appellari censeat loculos quosdam Basilicæ appositos, in quibus ea simulacra reposita erant (6). Sed, etiam si nulla intra Constantinopolis ambitum pagana templa, jubente Constantino excitata fuissent, minime dubium est quin intra veteris Byzantii mœnia, nonnulla starent quæ ab imperatore fuisse eversa nullus scriptor tradit, quorumque, sive vetera sive nova essent, apud scriptores paganos, ut prædiximus,

(1) Σὺ μὲν οὖν (nota ad Theodosium) οὐθ' ἱερὰ κεκλεῖσθαι οὔτε μηδένα προσιέναι, οὔτε πῦρ οὔτε λιβανωτὸν, οὔτε τὰς ἀπὸ τῶν ἄλλων θυμιαμάτων τιμὰς ἐξήλασας τῶν νεῶν οὐδὲ των βωμῶν. (LIBANIUS, *pro Templis*, ed. Sinn., p. 253.

(2) *Id.*, *ibid.*

(3) Τὴν Ῥώμην τοῦ θύειν οὐ τολμήσαντες ἀφελέσθαι. (LIBANIUS, *pro Templis*, ed. Sinn., p. 341.

(4) S. AUGUSTINUS, *C. D.*, v, 25.

(5) ZOSIMUS, II, 31.

(6) CANGIUS, *Constantinopolis christiana*, p. 145.

plurima mentio exstat. Chronicon vero Alexandrinum et Historiæ Byzantinæ auctores institutas tradunt, dum Constantinopolis dedicaretur, et ipsius Constantini jussu, cærimonias quasdam, et erecta quædam simulacra, quæ omnia, haud scio an vir apprime christianus fecisset, et erexisset.

Quum Constantinopolis mœnia Constantinus, hastam manu tenens, describeret, Sopater neoplatonicus philosophus et Prætextatus pontifex, ambo pagani, solemnitati præerant (1). Deinde cum urbis dedicatio et nuncupatio facta sunt, Valens paganus haruspex cærimoniis interfuit, ne dicam præfuit (2). In Milliario quod dicitur fori Constantinopolitani imperator currum Solis poni jussit, in quo et *Solis effigies et Fortunæ parvum simulacrum* in capite crucem gestantis visebantur (3). Contra Milliarium stabant ingentes Constantini ejusque matris Helenæ statuæ, ad Orientem solem conversæ, et una crucem tenentes cui inscribebatur : unus est Sanctus, unus Dominus, unus Christus. Media autem in cruce erat imago fortunæ urbis inclusa, quæ magicis formulis consecrata fuerat. Quod pignus quamdiu integrum esset, spes erat fore ut novæ urbis felicitas et imperium in integro florerent (4). Edixit quoque imperator, ut in posterum quotannis, natalitio urbis die, magna ipsius aurea statua, fortunam urbis porrecta dextra tenentis, solemniter per circum veheretur, et ut is, qui tum imperator esset, eam statuam genibus flexis adoraret (5). Quin imo advectam Roma porphyreticam columnam in medio Constantinopolis foro erigi jussit, eique Apollinis simulacrum imponi, et suo ipsius nomine cousecrari. Cujus quidem simulacri caput radiatum erat, et in radiorum intervallis hæc verba legebantur : *Constantino solis instar fulgenti*. In hujusce columnæ basi, ex oraculo quodam Si-

(1) Johannes Lydus, *De mens.*, iv, 2. — Lasaulx, op. cit., p. 44.

(2) Anonymus Banduri, p. 98, 99. — Lasaulx, op. cit., p. 44.

(3) Anonymus Banduri, p. 13, *D.* 98 ; *E. Codinus de Signis Const.*, p. 40. — Lasaulx, op. cit., p. 44.

(4) Anonymus Banduri, p. 10. — *Codinus de Sign. Const.*, p. 33. — Lasaulx, op. cit., p. 43.

(5) Anonymus Banduri, p. 43. — *Chronicon Alexandrin.*, ed. Cang., p. 285. — *Codinus*, p. 24, 25, 36.

byllino, includi jussit clam ablatum urbis Romæ palladium cum plurimis aliis pignoribus imperii, quæ omnia quamdiu altera Roma servaret, illæsa et incolumis maneret (1). Hæc sine dubio sunt Ἑλληνίζοντος Χριστιανισμοῦ, ut Socrates loquitur, indicia (2).

Nescio an facile sit hæc omnia excusata habere quæ paganos sensus redolere videntur. Quis ita loquitur? Doctissimus ipse Tillemontius (3). Nec ego aliter. Et si suspectiorem esse istorum scriptorum auctoritatem contendas; non tamen video quid contra hæc et talia testimonia afferri possit, nisi, ea quæ narrantur, quoniam a christiano homine prorsus aliena sunt, ad Constantinum pertinere non posse. Talis rerum æstimatio an justa et recta sit, alius judicet.

Quod si jam titulos nummosque excutere voluerimus, qui ad Constantinum pertinent : ex duobus titulis certissime apparere videbimus, ut ante sublatum Licinium, ita post ejusdem mortem, Constantinum Pontificis Maximi nomine usum fuisse.

Unus in Ticinensi marmore hic est :

D. N. IMP. CAES.
FL. CONSTANTINO. MAXIMO.
VICTORI. AVG.
PONT. MAX. TRIB. POT. XXIII.
IMP. XXII.
CONS. VII. PROCONSVLI (4).

Alter apud Orellium legitur ejusdem anni 328.

D. N. IMP. CAES.
FL. CONSTANTINO.
P. F. VICTORI. AVG.
PONT. MAX.
TRIB. POT. XXIII.

(1) LASAULX, op. cit., p. 47, 48.

(2) Παρεφύη γὰρ μικρὸν ἔμπροσθεν τῶν Κωνσταντίνου χρόνων τῷ ἀληθεῖ Χριστιανισμῷ ἑλληνίζων Χριστιανισμός. (SOCRAT., I, 22, p. 55.)

(3) TILLEM., *Hist. des Emper.*, IV, 652, 653.

(4) ECKHEL, *Doctrina veterum nummorum*, t. VIII, p. 76.

IMP. XXII. COS. VII.
P. P. PROCOS. CONS.
HVMANARVM. RERVM.
DIVI CONSTANTI. FILIO.
BONO R. P. NATO.
M. P. XV (1).

Antiqui vero nummi, ut inter omnes constat, cum tribunitiæ potestatis aut consolatus mentio deest quo anno percussi fuerint, non facile statui potest. Itaque quamvis ingens exstet adhuc Constantinianorum nummorum numerus Jovi aut Marti aut Herculi aut Soli sacrorum, non jure quisquam ex iis unum sub finem regni cusum affirmare queat. Nonnullos autem reperire est, sed teste Eckhelio paucissimos, qui Monogramma Christi ferant ; ut adeo « ex Constantini moneta, ut idem Eckhelius ait, neque pertinax in vetera sacra odium, neque adversus christiana affectus probari possit (2). » Vix equidem, inter ducentos aut ampluis, quos mihi tractandi occasio fuit, unum aut alterum christianis litteris χ et ρ intermixtis signatos inveni. Et iis quidem nummis aliquid pagani etiam inesse videtur, quum altero latere Victoriam Deam alatam aut Fortunam Deam exhibeant. Multi autem post conditam Constantinopolim cusi, quod litteræ PCONS aut CONST. indicant *Fortunæ hujusce urbis galeatum caput*, altero latere *Victoriam Deam sedentem* ostendunt. Multi etiam post Constantini mortem percussi altero latere caput velatum cum his Verbis D V (divus) CONSTANTINVS PT (pater) AVGG. (Augustorum), altero latere V N (venerabilis) M R (memoriæ) præbent, ut in nummis, in defunctorum principum honorem cusis, fieri solebat.

Mihi igitur, et ea quæ Byzantinæ historiæ auctores in condenda et dedicanda Constantinopoli facta fuisse tradiderunt, et ea, quæ tituli nummique, in extremis Constantini temporibus incisi ferunt, non videntur a publicis decretis rescriptisque, quæ descripsimus, admodum abhorrere. Ille profecto

(1) ORELL., n° 1080.
(2) ECKHEL, op, cit., p. 78, 79.

qui annis 335 ac 337 sacerdotibus et flaminibus privilegia et immunitates conservabat, qui sibi anno 333 ædem erigi jubebat (1), qui vetera sacra sumptu publico, multis certe in locis (2) fieri patiebatur, quem Pontificem Maximum pagani solemniter appellabant, cum statuam sibi et Constantinopolis Fortunæ perfici juberet, eaque simulacra adorari, non adeo sibi dissentire videbatur.

(1) Sacerdotium Constantino imperatori post victum Maxentium in Africa delatum fuisse Sextus Aurelius Victor (*De Cæs.*, 40) narrat. Africanus autem titulus *Aradium Val. Proculum* omnibus functum honoribus, Pontificis Flavialis munus explevisse docet. Qui quidem CONSVL ORDINARIVS anno 390 fuit. (Orell., n° 3672.) Quid sibi vult, hoc præsertim ævo, Flavialis pontifex? Nonne in æde Constantino dedicata, sacrorum minister erat?

(2) Hoc colligi posse puto e Symmachi notissima de *Ara Victoriæ* relatione, qua docemur a Valentiniano vetitum ne sacrificiorum veterum sumptus pecunia publica fierent. Idem et colligi potest de duobus Zosimi locis (lib. IV et V) quibus Theodosius post sublatum Eugenium idem Romæ sanxisse refertur.

PARS POSTERIOR.

QUALEM SE GESSERIT CONSTANTINUS ADVERSUS CHRISTIANOS.

CAPUT I.

Ab edicto inde Mediolanensi ad defunctum Licinium.

(313-324.)

Crucis effigies pro vexillo militari ante prælium ad pontem Milvium consertum habita, et post Constantini victoriam hastæ præfixa, quam positam Romæ victoris statuam tenuisse Eusebius refert, non religionis mutatæ, sed datæ tandem christianis libertatis pignus et publicæ pacis indicium erat. Nec aliud Constantinus Liciniusque Mediolani sanxerunt, quam ut quisque in colendo numine plena libertate frueretur, et christiani, in civitatem adsciti et communi jure donati, solemnia ut vellent celebrare, quassas aut eversas ædes resarcire aut novas ædificare possent, et ablata bona a fisco seu a possessoribus, data indemnitate, reciperent. Humanitas et justitia, et æquior utilitatis et juris uniuscujusque respectus, et firmandæ publicæ tranquillitatis dissidiique plus quam civilis restinguendi studium, non animus, ut puto, christianus legem hanc dictaverat, quam grata in Constantinum christianorum voluntas principi jam christianissimo adscribebat.

Quanquam autem hoc edicto Constantinus jusserat ut christiana religio sui juris fieret, non inde sequitur eam ab omni sua ditione alienam Constantinum fecisse. Summi Pontificis honos, cujus imperatores cum principatu potiebantur,

omnium in imperio religionum, omnium sacrorum arbitros eos constituebat. Et apparet Constantinum, cum Pontificis Maximi nomen et jura nomini inhærentia in veterem observantiam retineret, quodam modo in res christianorum idem dominium affectasse, eamdem moderatoris vel præsidis, vel Pontificis Maximi exercuisse auctoritatem. Ita etiam, data christianis libertate, omnia in unius manu remanebant, quodque principes antea timuerant, ne Respublica distraheretur, novisque rebus per christianos aditus fieret, non jam Constantino metuendum erat. Quamdiu igitur imperii Romani tenuit gubernacula, summum rei christianæ pontificatum non Romanus episcopus, sed ipse Constantinus reipsa tractavit, ad eumque, ut ad suum præsidem vereque pontificem summum christiani in omnibus rebus semper oculos animosque converterunt. Quod equidem jam manifestum efficere nitar, servata, quam prius proposito meo adhibui, divisione.

Jam motæ inter Africæ provinciæ christianos contentiones de *traditionis* crimine efferbuerant, cum Constantinus, Maxentii caput, cruentum victoriæ documentum, eo misit. Simul scriptis ad Anulinum ejusdem provinciæ proconsulem litteris, pacis componendæ studio, eum monebat, ut ea quæ ad christianorum jus pertinebant, non solum non perturbari pateretur, sed etiam iis restituenda curaret; jubebatque ut ecclesiæ ministri, cui Cæcilianus præerat, ab omnibus omnino publicis functionibus immunes essent « *ut absque ulla inquietudine* « *propriæ legi possint deservire.* » Fiebat ita veteris disciplinæ et religionis christianæ æqualis conditio, et pari honoris gradu utriusque religionis ministri afficiebantur. Nempe illa jam pridem curialium onerum immunitate sacerdotes et flamines fruebantur.

Sed in Africa alii Cæciliani partes tuebantur, alii Majorini. Nec Constantinum fallebat multos ibi christianos tumultuose agere, ideoque Anulino in mandatis dederat, ut hujusce rei curam gereret, et in eos qui non satis paci et concordiæ consulerent animadvertere non dubitaret (1). Quin imo Cæcilianum ipsum monebat ut ad compescendam factiosorum

(1) Constant. epist. ad Cæcilianum. (Euseb., *Hist. eccl.*, 6.)

pertinaciam, proconsulis, si opus esset, operam et vim adhiberet (1).

Mox autem ab eodem Anulino missi ad Constantinum libelli fuerunt, quibus Majorini et Donati sectatores, qui et ecclesiæ catholicæ nomen sibi vindicabant, Cæcilianum in crimen vocabant ut non rite, et a *traditore* electum ; et imperatorem rogabant ut, litis dirimendæ causa, judices utrisque partibus de Gallia dari præciperet (2). Accepta provocatione imperator causam integram ad Miltiadem urbis Romæ episcopum et tres alios deferri jussit. Videtur in hac, quam de illa contentione ad Miltiadem misit epistola Constantinus, ad magistratum aliquem sibi subditum scribere, nec insigniori quam Anulinum proconsulem titulo afficit (3) ; nec aliter Pontifex Maximus pontifici inferioris notæ mandata dare consueverat. Sibi enim permolestum esse dicit, in his provinciis quas divina Providentia sui juris fecit, et in quibus est maxima populi multitudo, plebem quasi in duas partes divisam ad deteriora deflectere, et episcopos inter se dissentire. Placuisse igitur sibi, ut Cæcilianus una cum decem episcopis qui accusare ipsum videntur, et cum decem aliis quos ipse ad suam causam defendendam necessarios esse judicaverit, Romam ire properet... se insuper curasse ut exempla libellorum ab Anulino missorum litteris suis subjecta ad collegas Miltiadis transmittantur. Deinde adjicit : « quibus perlectis perpendet *gravitas vestra* quonam modo controversia illa quam supra diximus

(1) « Itaque si quos ejusce modi homines in hac amentia perseverare conspexeris, absque ulla hæsitatione supradictos judices adibis ; idque ipsis referas, ut in eos, quemadmodum ipsis coram mandavi, animadvertant. (Const. epist. ad Cæcilianum.)

(2) « Transmisi libellos duos, unum in aluta suprascriptum ita : libellus Ecclesiæ catholicæ criminum Cæciliani, traditus a parte Majorini. Item alium sine sigillo.... (S. AUGUST., ep. 88)

« Rogamus te, o Constantine summe imperator, quoniam de genere justo es, cujus pater inter cæteros imperatores persecutionem non exercuit ; et ab hoc facinore immunis est Gallia : nam in Africa inter nos et cæteros episcopos contentiones sunt : petimus ut de Gallia nobis judices dari præcipiat pietas tua. » (*Optat. Milev.*, I.)

(3) Constant. epist. ad Miltiadem episcop. urb. Rom. (EUSEB., *Hist. eccl.*, X, 5.)

diligentissime et rectissime dijudicari et ex juris præscripto absolvi possit. Siquidem nec *tuam sedulitatem* latet me tantum sanctæ et catholicæ Ecclesiæ tribuere, ut *velim* vos nullum generale schisma nullamque dissensionem in ullo loco omnino relinquere (1). »

Habitum est Concilium et ab omni labe Cæcilianus purgatus est, sententiaque episcoporum ad Constantinum perlata est, quam rectissime et ex conscientiæ voce pronuntiatam asserebant (2). Nec lis tamen dirempta, repugnantibus accusatoribus, et alteram ad imperatorem appellationem interponentibus. Imperator tamen lege data extremo die mensis octobris (313) Ecclesiam Catholicam hæreticorum factione vexatam et *susceptionibus contra indulta iis privilegia* prægravatam ab iis injuriis liberabat (3).

Nec appellationem ad se factam a Donati partibus Constantinus abnuit, cum apud eum de concilio Romæ habito quererentur, quod nec plene nec recte et a paucis causa examinata fuisset (4), et in Miltiadem ipsum malignas et adhuc ambiguas criminationes allegarent, et Felicem Aptunginensem, a quo Cæcilianus ordinatus fuerat, manifestissimæ traditionis arguerent (5). Jussit itaque imperator ut *remotis necessitatibus publicis*, proconsul Ælianus de vita Felicis publice quæreret (6). A quo cum fuisset illius declarata innocentia, Constantinus rescriptum dedit, quo et purgatos omnino et absolutos Cæcilianum et Felicem pronuntiabat, et sperare se dicebat nullum jam fore contentionibus et discordiæ locum. Mox vero sæviente adhuc in Africa tumultu, nec cessantibus Donastistis et

(1) EUSEB., *Hist. eccl.*, x, 5. Hæc Miltiadi sive Melchiadi urbis Romæ episcopo et Marco cuidam ignoto viro, Miltiadis forsan assessori et consiliario missa epistola inscribitur.

(2) *Optat. Milev.*, Gest. purgat. Cæciliani et Felicis.

(3) *Cod. Theodos.*, lib. XVI, tit. 2, l. 1.

(4) S. AUGUST., *Cont. Petil. de unico Baptism.*, cap. XVI. — Epist. 43 *ad Glorium*, passim.

(5) Quæstionem de Felice commoverant, eo modo posse arbitrantes Cæcilianum jam purgatum alienis criminibus irretiri. (S. AUG., *Cont. Donatist. post collat.*, ch. 32.)

(6) *Optat. Milev.*, lib. I.

Romanum concilium et judicum paucitatem atque temeritatem apud imperatorem incusare (1), Constantinus præcepit ut res in Arelatensium oppido de integro expenderetur, ut discordiæ tandem finis fieret. Ablavio igitur Africæ vicario injunxit, ut Cæcilianum cum nonnullis ex his, quos ipse delegisset, et etiam nonnullos ex his qui contra Cæcilianum tendebant, data evectione publica, ad urbem supradictam mittendos curaret. Adjiciebat nihil sibi esse antiquius quam pace composita, « universos intueri debito cultu catholicæ religionis sanctissimum Deum concordi observantiæ fraternitate venerantes (2). » Simul et Chresto Syracusanorum episcopo scribebat, se plurimos ex diversis et prope infinitis locis episcopos in urbem Arelatensium convenire jussisse, jubere etiam ut ipse cum duobus secundi ordinis et tribus servulis ad prædictum locum, adhibito publico vehiculo, occurrat.

In hoc concilio (Aug. Mens 314) cui nec Romæ Pontifex Sylvester nec Constantinus aderat, auditi iterum Donatistæ et damnati fuere, sententiaque, cum quibusdam aliis decretis, quæ concilium sanxerat, ad Sylvestrum et ad Constantinum delata. Nec tamen sublata est dissensio, multis ex Donatistarum parte reclamantibus, et ab episcopis ad sacrum ipsius Constantini judicium appellantibus (3).

Episcopos imperator « *tædians* » ut S. Optatus loquitur, domum quemque redire jussit, et Arelatensis concilii detrectatores ad comitatum suum perduci, tanquam vi adhibita, eorum pertinaciam frangere vellet. Deinde versus ad mitiora, Donatistas admonuit se causam totam judicaturum et jus cuique redditurum (4). De ea re etiam Celsum Africæ vicarium certiorem fecit, addito ut super diversis allegationibus requirere supersederet, at potius dissimularet, donec ipse Africam venerit « *plenissime universis tam Cæciliano quam his qui contra*

(1) *Script. Vet. ad Donatist. histor. pertinentia.* — S. August, t. IX, p. 21 (in append.) — *Epist. Const. ad Ablavium.* — *Epist. Constant. ad Chrestum episcop. Syracusanum.*

(2) *Constantinus ad Ablavium.*

(3) S. August., ep. 43 *ad Glorium.*

(4) *Scripta Vet. ad Donatist. hist. pertin.*, p. 25.

eum agere videntur lecto dilucido judicio demonstraturus, quæ et qualis summæ divinitati sit adhibenda veneratio et cujusmodi cultu delectari videatur..... et tam super plebe quam super clericis his qui primi sunt, diligentissime quæsiturus, idque judicaturus quod verissimum et religiosissimum esse manifestum sit. » Neque quidquam a se majoris haberi dicebat, nec magis ad principis munus et officium pertinere quam, « *discussis erroribus, omnibusque temeritatibus amputatis, veram religionem universos, concordemque simplicitatem atque meritam omnipotenti Deo culturam præsentare perficere* (1) »

Constantinus qui se in Africam, ut causam Cæciliani denuo judicaret, mox venturum promiserat, mutato proposito, partes ad se Romam arcessivit (2); dein Cæcilianum, qui bono pacis Brixiæ tenebatur, et eos a quibus accusabatur Mediolanum contendere aut pervehi jussit (3). Hic tandem coram partibus ipse omni re diligentissime cognita, Cæcilianum innocentem et ejus accusatores calumniosissimos sententia solemni declaravit. Quodquidem verba hæc testantur e scriptis imperatoris ad Eumalium vicarium litteris excerpta : « In hoc judicio pervidi Cæcilianum virum omni innocentia præditum ac debita religionis suæ officia servantem, eique, ita ut oportuit, servientem ; nec ullum in eo crimen reperiri potuisse evidenter apparuit, sicut absenti fuerat adversariorum suorum simulatione compositum (4) »

Tot sententiis et ab episcopis, quos ipse delegaverat, et a se ipso, ad quem haud semel provocaverant, perculsos, necdum tamen victos, suppliciorumne metu coerceret, an adhibita patientia, impune esse toleraret, aliquantisper Constantinus hæsit. Durum ei forsan videbatur, et parum Mediolanensi decreto consentaneum, post datam sectis quibuslibet, in colenda religione libertatem, continuo ad vim contra rebellantes animos se conferre, et quæ publice detestatus erat, exempla

(1) *Ibid.*, p. 25 et 26.
(2) S. August., *Brev. collat. cum Donat.*, p. 576.
(3) *Id.*, *ibid.*
(4) S. August, *Cont. Crescon.*, lib. III, cap. 71.

sequi. Nec minus Constantino grave et molestum erat illam quam tanto studio fovebat concordiam pessumdari, et in æternum prorogari dissensiones. Neque ii qui Cæciliani partes tuebantur eum ad violentiam protrahebant, et occupata a Donatistis in Constantina civitate ecclesiæ catholicæ basilica, poscebant tantum, ut imperator de fisco locum vel domum daret ubi alia posset exstrui (1). Quam petitionem Constantinus libenter amplexus est, et fiscali sumptu ut basilica catholicis erigeretur, mandavit. Deinde, invalescente in Africa tumultu, legem contra Donatistas severissimam edidit, et eis basilicas auferri jussit, præcepitque ut loca congregationum ipsorum fisco vindicarentur (2). Cujus legis quæ in codice Theodosiano desideratur, Gratianus meminit in lege : *Ne sanctum baptisma iteretur* (3). Hac etiam lege actos in exilium quosdam Donatistas apparet (4). Sed quatuor post annis, Crispo et Constantino iterum consulibus (321), missis ad Verinum vicarium litteris, Constantinus jussit ut exulibus redeundi copia fieret, et Deo vindici eorum causa dimitteretur (5), plenamque optionem Afris dedit utram certantium partem sequi vellent (6).

Hæc de Donatistis attigimus breviter, quo manifestius sit quas sibi vices, quam personam Constantinus in rebus ecclesiasticis sumpserit. Quis autem neget in omni hac contentione ecclesiastica primas semper Constantinum tenuisse? Quis ei summi moderatoris, et supremi judicis munus non adscribat? Hic certe rerum ecclesiasticarum arbiter, pacis et unitatis propugnator, et debitæ erga Deum reverentiæ custos liquidissime apparet, nec aliter ab omnibus habetur, in eumque unum et qui pro Cæciliano stant et qui contra spes omnes collocant. A Donatistis appellatus contra Cæcilianum Constanti-

(1) *Script. Vet. ad hist. Don. pertin.*, p. 27.

(2) S. August., ep. 105; ep. 93, § 14, 19; ep. 88. — *Cont. Litter. Petiliant*, lib. II, c. 92.

(3) *Cod. Théodos.*, XVI, tit. 6, l. 2.

(4) S. August., ep. 93.

(5) S. August., *Brev. collat. cum Donat.*, 22, 24; *ad Donatist. post. collat.*, 33.

(6) Moshemius, *Inst. Hist. eccl.*, p. 181.

nus totius rei cognitionem ad episcopos delegat. Unus ipse quot socii Majorinum comitari debeant, quot Cæcilianum, demonstrat; unus designat qui judices sedere debeant; unus urbem qua judices ac rei conveniant et diem judicii præscribit. Facta cognitione, imperatori sententia subjicitur, nec sibi quidquam licere in eos, contra quos pronuntiaverunt, judices arbitrari videntur. Iterum Donatistæ de romano judicio ad imperatorem provocant, et in Felicem, mali auctorem invehuntur. Imperator de Felice per Ælianum proconsulem cognoscit. Expostulantibus iterum Donatistis, imperator iterum aliis Episcopis dirimendam litem committit. Eos ipse e diversis locis in urbem Arelatensium, die stato convocat, proviso ne eorum absentia sacrorum ministerium interrumpatur (1). Cumque re semel atque iterum a legatis, ut ita dicam, Episcopis dijudicata, eum etiam appellare Donatistæ perseverarent, nec discordiæ tollerentur, ipse, ut poscebatur, causam integram judicare statuit; jamque se in Africam venturum pollicitus, dein Romam partibus arcessitis, denique Mediolani sedens, fert ipse sententiam. Deinde vim legis adhibet, et pœnas adversus pacis perturbatores et eversores religionis sancit, quas ultro, quatuor post annis, remittit.

Ubi igitur hac in omni re Ecclesiæ summus præses, ubi Religionis arbiter et custos, ubi summus rerum ecclesiasticarum cognitor et judex, ubi Pontifex Maximus? Quis concilia sedere jubet? Quis conciliorum participes eligit? Quis diem et locum conciliorum constituit? Quis sibi conservandæ pacis ecclesiasticæ, et concordiæ stabiliendæ munus suscipit? Pontifexne romanus Miltiades, quem ut legatum, cum nonnullis ejus collegis, semel adhibet, aut Sylvester, quem ne consulit quidem, nec ad concilium Arelatense advocat, an ipse imperator, qui semel per proconsulem, bis per episcopos quos vocat et dimittit, denique per se ipsum, remotis omnibus aliis arbitris, nullo tum reclamante, et quasi ex veteri pontificio jure, judicat (2)?

(1) *Constantini epist. ad Ablavium.*

(2) Hoc de eadem re adnotat Moshemius: « Tam clara sunt in tota hac controversia supremæ potestatis imperatoriæ in causis ad religionem pertinentibus signa, ut clariora fieri nequeant. Certe his temporibus nemo cogitabat de supremo totius Ecclesiæ judice ab ipso Christo

Duæ sunt ecclesiaticæ quæstiones, et gravissimæ quidem, quibus, Constantino imperante, permoti fuere christianorum animi. Alteram exposuimus breviter, vidimusque quanta pars illius imperator fuerit.

De altera paulo infra agemus, Arianam dico contentionem, qua Ægyptus primo, dein totus Oriens et fere universa christianorum societas laboravit. In minimis vero rebus ut in maximis, quæ in Ecclesia exstitere, intercessisse Constantinum liquidissime patet.

Omittemus restitutas post victum Maxentium aut ædificatas, jubente Constantino, christianorum ædes, et fiscum, eodem jubente, eorum ædificiorum sumptus suppeditantem, tanquam docere vellet princeps, qui *res in quibus Divinitatis reverentia continetur, ordinare* (1) et componere, ad se pertinere profitebatur, non extra ditionem suam poni quæ ipsius jussu et fiscalibus impensis erigebantur.

Sed placet nonnihil de certis legibus a Constantino latis, quæ ad res christianorum attinent, attingere. Jam constitutionem Constantini ad Anulinum Africæ proconsulem, ineunte anno 313 directam memoravimus, qua catholicæ religionis ministros a curialium munerum oneribus immunes et solutos esse jubet; eam alia constitutio ejusdem anni, codici Theodosiano inserta firmavit (2). Quinque post annis, ut christianorum sacrorum ministri omni molestia carerent et expeditius divinis obsequiis inservire possent, Constantinus tertia constitutione cavit (3). At cum multi publica munera declinandi studio, ad clericorum nomen obsequiumque confugerent, et

constituto. Conventus Romanus et Arclatensis concilia vulgo nominantur : sed qui rem æquis considerare oculis volet, intelliget, eos proprie non esse concilia; sed consilia delegatorum ab imperatore judicum, sive commissariorum, ut nos hodie loquimur. » (MOSHEM, *Inst. Hist. eccl.*, sæcul. IV, pars II, p. 181, in notula).

(1) Ipsa edicti Mediolanensis verba apud Lactantium. Vid. supra

(2) *Cod. Théod.*, XVI, t. II, l. 1.

(3) « Qui divino cultui ministeria religionis impendunt (id est qui clerici appellantur) ab omnibus omnino muneribus excusentur : ne sacrilego livore quorumdam a divinis obsequiis avocentur (319). » (*Cod. Theodos.*, XVI, t. II, l. 2.)

civitatum ordines iis etiam destituerentur, qui facultatibus ad officia publica obeunda maxime idonei essent, imperator publicæ utilitatis studiosissimus, ut ex crebris quas de decurionibus tulit legibus apparet, non concessam clericis immunitatem abrogavit, sed, quod ecclesiastici non civilis juris esse videbatur, sanxit, « *eos de cætero in defunctorum duntaxat clericorum loca subrogari qui fortuna tenues neque muneribus civilibus tenerentur obstricti* (1). » Imo etiam paulo post præcepit illos qui post legem latam obsequia publica declinantes ad clericorum numerum confugerant, procul ab eo corpore segregatos, curiæ ordinibusque restitui et civilibus obsequiis inservire (2). Denique sex post annis, legem de eadem re proposuit, quam hic describi operæ pretium esse arbitror.

Constantinus A. ad Ablavium.

« Neque vulgari consensu, neque quibuslibet petentibus « sub specie clericorum a muneribus publicis vacatio defera« tur : *Nec temere et citra modum populi clericis connec« tantur : sed quum defunctus fuerit clericus, ad vicem « defuncti alius adlegetur, cui nulla ex municipibus « (decurionibus) prosapia fuerit, neque ea est opulentia « facultatum, quæ publicas functiones facillime queat to« lerare :* ita ut, si inter civitatem et clericos super alicujus « nomine dubitetur, si eum æquitas ad publica trahat obse« quia, et progenie municeps, vel patrimonio idoneus dignos« cetur, *exemptus clericis civitati tradatur :* opulentos enim « sæculi subire necessitates oportet, pauperes ecclesiarum

(1) « Non exstat hæc constitutio, sed in lege anno 320 data illius mentio fit in hunc modum : « cum constitutio emissa præcipiat : nullum deinceps decurionem vel ex decurione progenitum, vel etiam instructum idoneis facultatibus atque obeundis publicis muneribus opportunum ad clericorum nomen obsequiumque confugere ; sed eos de cætero in defunctorum duntaxat clericorum loca subrogari, qui fortuna tenues neque muneribus civilibus teneantur obstricti. » *Cod. Theodos.*, XVI, t. II, l. 3 (320).

(2) *Cod. Theodos.*, XVI, t, 2, l. 3, in fine legis præcedentis.

« divitiis sustentari. P. P. Kalend. Jun. Constantino A. VII et « Constante Cæsare Coss. (326) (1). »

His si legem aliam Serdicæ anno 330 a Constantino datam adjeceris, qua *lectores, hypodiaconos* et *cæteros clericos* minime ad curias devocari et immunitate plenissima potiri jubet (2), omnia habebis quæ de clericorum immunitate Constantinus sanxit.

Quis autem his sanctionibus Constantinum rebus prorsus Ecclesiasticis intervenisse neget? Civilium certe munerum immunitatem deferre vel abnuere penes imperatoriam auctoritatem erat, utpote quæ communis utilitatis judex, quomodo publicis necessitatibus subveniretur, statuendi jus haberet. Non autem hic de concessa novis hominibus curialium munerum immunitate agitur.

Scilicet delata temere clericis civilium officiorum vacatio id effecerat, ut multi, quos non pietas eximia forsan nec christianæ religionis studium, at nomini immunitas inhærens accendebat, in clericorum numerum accederent. Ita alii, quibus ex genere decurionatus competebat, alii quos rei familiaris conditio tolerandis civilibus obsequiis idoneos præstabat, in quaslibet ecclesiasticas functiones, velut in tutum avaritiæ ac desidiæ perfugium se conferebant, unde eos exturbare nefas erat. Dumque supra modum clericorum numerus cresceret, languebant desertis curiis civitates, vel publica officia tenuissimos obruebant. Nec tamen, ut diximus, data semel clericis privilegia auferri vel extenuari imperator voluit, sed tribus vicissim legibus de *electione* vel *missione clericorum* sanxit, tanquam de militibus conscribendis vel exauctorandis ageretur.

Nempe expresse vetat ne quis clericis adjungatur, qui decurio vel decurione progenitus, vel facultatibus idoneis instructus, et obeundis publicis muneribus opportunus inveniatur.

Jubet etiam eos, qui spe declinandæ curiæ, clericorum se consortio sociaverint, cum et genere vel fortunis ad civilia

(1) *Cod. Theodos.*, lib. XVI, tit. 2, l. 6.
(2) *Cod. Theodos.*, lib. XVI, t. 2, l. 7.

munera idonei sint, a clericorum corpore segregari et civitatibus reddi. Quis vero clerici, id est sacrorum administri et transactores, ex quibus eligi et creari debeant, præcipit? Quis eosdem interdum ex divinis obsequiis eximi, et a sacris amoveri et civitatibus restitui, id est in privatum ordinem cogi jubet? Is est Imperator, idemque Pontifex Maximus, Reipublicæ pariter et totius religionis summus antistes.

Idem et Pontificii juris memor, qui duas eodem anno 326, et vix unius mensis intervallo divisas, leges de rebus ecclesiasticis edebat. Nunc enim christianorum contentionum impatiens et inter sectas velut optione facta : « hæreticos et schismaticos ab omni curialium munerum immunitate alienos fieri jubebat (1) » nunc, æquiori mente statuens, « Novatianos ecclesiæ suæ domos et loca sepulcris apta sine inquietudine et firmiter possidere » præcipiebat (2).

Idem etiam ex jure antiquo Pontificis Maximi, ut videtur, agebat, cum nunc lege severissima juberet, ne quis Judæus eum qui Judæorum legem ejurasset et ad Dei cultum respexisset, saxis aut quovis alio furoris genere attentare auderet, nunc, oblitus nimium concessam olim unicuique quam voluisset sectam sequendi libertatem, vetaret « ne quis ex populo ad nefariam Judæorum sectam accederet et eorum conciliabulis sese applicaret (3). »

(1) « Privilegia, quæ contemplatione religionis indulta sunt, catholicæ tantum legis observatoribus prodesse oportet. Hæreticos autem et schismaticos non tantum ab his privilegiis alienos esse volumus, sed etiam diversis muneribus constringi et subjici. » (PP. kal. septemb (326.)

(2) « Novatianos non comperimus prædamnatos, ut iis, quæ petiverunt, credereums minime largienda. Itaque ecclesiæ suæ domos et loca sepulcris apta sine inquietudine eos firmiter possidere præcipimus : ea scilicet, quæ ex diuturno tempore vel ex empto habuerunt, vel qualibet quæsiverunt ratione. Providendum erit, ne quid sibi usurpare conentur ex his, quæ ante dissidium, ad ecclesias perpetuæ sanctitatis pertinuisse manifestum est. » (Dat. kal. octob. (326). (*Cod. Thedos.*, XVI, tit. 5, leg. 1, 2.)

(3) « Judæis et majoribus eorum et patriarchis volumus indicari, quod si post hanc legem, aliquem qui eorum feralem fugerit sectam et ad Dei cultum respexerit, saxis aut alio furoris genere (quod nunc fieri cognoscimus) ausus fuerit attemptare, mox flammis dedendus et cum

Benignior certe et æquior juris uniuscujusque æstimator erat Constantinus, demonstrabatque non irritum fuisse Pontificis Maximi nomen, et religionum omnium tutelam penes se esse, cum Judæorum sacris, quorum, ut ex prædicta lege apparet, minime studiosus erat, ita consuleret, ut una lege (320) binos vel ternos in Synagogis divino cultui præsidentes a publicis muneribus immunes esse præciperet (1); altera (330), et liberaliori quidem, idem privilegium confirmaret (2).

Constantinus etiam Pontificis Maximi partes tuebatur, cum protervo Judæorum studio, injuriisque religionis specie obtectis obviam iret, vetaretque ne quis « Judæus christianum mancipium vel *cujuslibet alterius sectæ* mercatus circumcideret, » servorum videlicet animos non venales esse judicans, et, quoad religionem, liberos esse (3).

Nihil habeo quod de duabus aliis legibus dicam, quarum altera Constantinus sanxit, ut unusquisque e vita decedens, bonorum quod vellet Ecclesiæ relinquendi licentiam haberet; altera, ut in Ecclesiæ gremio, in conspectu religionis antistitum, servis libertas concedi jure posset, imo clericis facto

omnibus suis participibus concremandus. Si quis vero ex populo ad eorum nefariam sectam accesserit, et conciliabulis eorum se applicaverit, cum ipsis pœnas meritas sustinebit. » (xv kal. nov. (315). (*Cod. Theodos.*, xvi, tit. 8, l. 1.)

(1) « Cunctis ordinibus generali lege concedimus Judæos vocare ad curiam. Verum ut aliquid ipsis ad solatium pristinæ observationis relinquatur, binos vel ternos privilegio perpeti patimur nullis occupationibus occupari. » (Dat. id. dec. (321). (*Cod. Theodos.*, xvi, t. 8, l. 3.)

(2) « Qui devotione tota synagogis Judæorum, patriarchis vel presbyteris se dederunt, et in memorata secta degentes legi ipsi præsident, immunes ab omnibus, tam personalibus quam civilibus muneribus perseverent : ita ut illi, qui jam forsitan decuriones sunt, nequaquam ad prosecutiones aliquas destinentur; cum oporteat istius modi homines a locis in quibus sunt, nulla compelli ratione discedere. Hi autem, qui minime curiales sunt, perpetua decurionatus immunitate potiantur. » (Dat. kal. dec. (330). (*Cod. Theodos.*, xvi, t. 8, l. 2.)

(3) « Si quis Judæorum christianum mancipium vel cujuslibet alterius sectæ mercatus circumciderit, minime in servitute retineat circumcisum; sed libertatis privilegiis, qui hoc sustinuerit, potiatur. » (xi kal. nov. (336). (*Cod. Theodos.*, xvi, t. 9, l. 1.)

testamento servos manumittere liceret, ita ut ex die publicatæ voluntatis, sine ullo juris teste vel interprete competeret directa libertas (1).

Istæ enim leges, quanquam ad christianos spectant, bonamque in eos principis demonstrant voluntatem, ex auctoritate civili non e jure Pontificio pendere videntur.

Adnotandum tamen est, quod ad priorem legem attinet, jam veteri ex jure, diis, templis, sacerdotibus, municipibus, civitatibus, et licitis collegiis legandi potestatem, adhibita tantum lege Falcidia, quæ legitimos hæredes protegebat, penes quemque esse, ut ex Codice ac Digestorum libris apparet (2).

De Judæorum universitate Antoninus Caracalla, tanquam de cœtu illicito sanxerat, ut iis legata fructu carerent, neve possent peti ()3. Et Diocletianus, oblique forsan christianos petens, vetuerat ne quam hæreditatem collegium illicitum caperet (4).

Quid autem mirum, si Constantinus, post datam christianis libertatem, iis, id est Ecclesiis, in quibus christianorum universitas continebatur, hæreditatis adeundæ jus concesserit? Ista jussio ex eo sequi videbatur, quod ex legibus, christianis coire licebat quodque eorum corpus licitum fiebat. Licitis nempe collegiis et corporibus in commune possidere, communem arcam habere, actorem, syndicum et legata capere permittebatur (5).

(1) Harum legum prior dat. Romæ Crispo II et Constantino II Cæs. Coss. id est anno 320. (*Cod. Theodos.*, XVI, tit. 2, l. 4. — Posterior data anno 320. (*Cod. Theod.*, IV, t. 7, l. 1.)

(2) *Digest.*, XXVIII, tit. 1, 20; tit. 2, 16, 17. — *Digest.*, XXXV, tit. 2, 1 ad legem Falcidiam. — *De sodalitiis et collegiis Romanorum*, MOMMSEN, Kiliæ, 1843.

(3) « Quod Cornelia Salvia universitati Judæorum qui in Antiochensium civitate constituti sunt, legavit, peti non potest. » (Dat. prid. kal. jul. Antoninus A. IV et Balbinus Coss. 214.) (*Cod. Just.*, lib. I, tit. 9, l. 1.)

(4) « Collegium, si nullo speciali privilegio subnixum sit, hæreditatem capere non posse, dubium non est. » (PP. X kal. jun. Dioclet. A. IIII Maxim. Hercul. A. III Coss. 290.) (*Cod. Just.*, lib. VI, t. 24, l. 8.)

(5) « Marcus-Aurelius hæreditatis capiendæ potestatem licitis collegiis

Postea inter ecclesiasticos avaritia et ambitu gliscentibus, Constantini lex sublata fuit. Gratianus, dein Valens, Valentinianus et Arcadius vetuerunt quidquam ecclesiasticis donari etiam testamento (1), manente tamen paganis sacerdotibus hæreditatis capiendæ jure, ut testantur Ambrosius et Hieronymus (2).

Quod ad servorum manumissionem attinet, quam eodem jure, quo olim certis solemnitatibus, in ecclesia populo et antistibus christianorum assistentibus, vel a clericis sine teste, quibuscumque verbis, quacumque scriptura testamentaria fieri permittit Constantinus, item est ac de lege præcedenti : christianis nempe, ut pro licito collegio habitis, manumittendi potestas concessa fuit, et jure concedi poterat. Marcus Aurelius, teste Ulpiano, omnibus collegiis quibus coeundi jus erat, manumittendi potestatem jam antea dederat (3). De hoc etiam adnotandum est, cum quædam cærimoniæ in Rep. romana manumissionem consecrarent, et in templo Ferroniæ deæ pileus, libertatis insigne acciperetur, non potuisse principem libertatis studiosum et christianorum de veteri religione opinionum gnarum ac fere consortem, christianos et clericos, qui servos suos manumittere vellent, compellere, ut ad ea, quæ detestabantur templa accederent, iisque, quas sacrilegas dictitabant, cærimoniis uterentur.

Christianis magis indulsisse Constantinus videtur cum dua-

fecit : « cum senatus temporibus divi Marci permiserit collegiis legare, nulla dubitatio est, quod si corpori, cui licet coire, legatum erit, debeatur : cui autem non licet, si legetur, non valebit, nisi singulis legetur : hi enim non quasi collegium, sed quasi certi homines admittentur ad legatum. » (*Dig.*, lib. XXXIV, tit. 5, 20.)

Multi tituli reperiuntur qui facta collegiis legata demonstrant. — Vide GRUTER, CCCXXII, 4 ; MURATOR., 516, 1 ; ORELL., 4080.

(1) S. AMBROS., imp. Valentiniano, de non restituenda ara Victoriæ.

(2) « Pudet dicere, sacerdotes idolorum, aurigæ, mimi et scorta hæreditates capiunt. Solis clericis et monachis id lege prohibetur, et prohibetur non a persecutoribus sed a principibus christianis; nec de lege conqueror, sed doleo cur meruerimus hanc legem. (*Hieron. ad Nepot.*, 7, p. 3.)

(3) *Dig.*, lib. XL, tit. 3, 1.

bus legibus eodem anno 321 editis *judices, plebem urbanam et cunctarum artium officia venerabili die solis,* ut loquitur more pagano, id est die dominico, *quiescere jussit* (1). At cum paganis feriæ multæ, sacris etiam nunc debitæ, relinquerentur, quibus, judiciis tacentibus, nec ipsi christiani res forenses tractare poterant, æquitas poscebat, ut ea quoque pars civium quæ christianam religionem ex legibus colebat, sacris suis diem eum quem sacrosanctum habebat, condonare posset, et eodem jure christianas ferias quo paganas Respublica admitteret. Nullius igitur alius rei veteris observantiæ sectatores eum quem Pontificem Maximum appellabant, incusare poterant, nisi quod non vetera sacra unice amplecteretur, at christianæ quoque religionis rationem habendam duceret; nec christiani rursus sibi blandiri poterant quod eorum rebus Constantinus præcipue consuleret, *cum eodem anno, imo mense eodem, de fulgurum tactu Haruspices publice consuli juberet, et ad se eorum deferri responsa, paganisque sacrarum rerum publice tractandarum potestatem solemniter tribueret* (2). Omnes denique, cum ita novas ferias conderet, eum ex veteri jure Pontificis, cui religionum omnium cura et custodia competebant, agere (3) non confiteri non poterant. Eoque minor erat querimoniis locus, quo intra justiores fines

(1) Omnes judices, urbanæque plebes et cunctarum artium officia venerabili die solis quiescant. Ruri tamen positi agrorum culturæ libere licenterque inserviant : quoniam frequenter evenit ut non aptius alio die frumenta sulcis aut vineæ scrobibus mandentur : ne occasione momenti pereat commoditas cœlesti provisione concessa. » (Dat. non. mart. Crispo et Constantino II Cæss. Coss. 321.) (*Cod. Just.*, lib. III, tit. 12, l. 3.)

« Sicut indignissimum videbatur diem solis venerationis suæ celebrem altercantibus jurgiis et noxiis partium contentionibus occupari, ita gratum ac jucundum est, eo die quæ sunt maxime votiva compleri : atque ideo emancipandi et manumittendi die festo cuncti licentiam habeant, et super his rebus actus non prohibeantur. » (PP. non. jun. Crispo II et Constantino II Cæss. Coss. 321. (*Cod. Theod.*, lib. II, tit. 8, l. 1.)

(2) Loco supra citato, *De Haruspicæ usu lex*, Mart. mens. (321).

(3) Pontificis Maximi erat feriarum tempora constituere. — Vide VAN DALE, *De Pontificatu Maximo*, dissert. II; PETISCUS, *Lexicon Antiquit. rom.*, t. II, art. *Pontifex*.

lex reducta erat, data nempe et agricolis, eo ipso solis die culturam agrorum exercendi, et cunctis emancipandi et manumittendi, quos voluerint, plena licentia (1).

Cæterum non ita facilis videbatur Constantinus ut feriarum numerum per alienam voluntatem crescere pateretur, qui alia lege (sine die et consulibus) ad Severum directa, vetabat *ne quis administrator ferias auctoritate sua condere præsumeret* (2).

Nihil de notissima ad Ablavium constitutione diximus qua ad episcopale judicium causas etiam civiles, etiam altera parte invita, etiam paganis litigantibus, Constantinus traduxisse deprehenditur. Nempe ex ipsa re perspicitur, ut Gothofredus jam notavit (3), legem illam vel multo posteriorem tempore, vel admodum spuriam et fictitiam esse. Esset primum mirandi locus, quod suæ auctoritatis partem iis Constantinus commisisset, quos pugnaces et contentiosos expertus erat, præsertim cum de eorum rebus ipse et cognoscere ubique vellet et decernere. At ea lex et ab ejus ingenio alienissima est, nec hujus seculi fuisse apparet, quippe quæ eorum, quæ Arcadius et Honorius christianis postea concesserunt, modum prorsus excedat. Ii principes, in civilibus quidem causis,

(1) Præterea nec mercaturas dominico die fieri Constantinus prohibebat ut hic titulus docet :

IMP. CAES. FL. VAL. CONSTANTINVS
FELIX. MAXIMVS
AQVAS. IASAS. OLIM. VI. IGNIS. CONSVMTAS
CVM. PORTICIBVS. ET. OMNIBVS. ORNAMENTIS
AD. PRISTINAM. FACIEM. RESTITVIT
PROVISIONE. ETIAM. PIETATIS. SVAE
NVNDINAS. DIE. SOLIS
PERPETI. ANNO. CONSTITVIT
CVRANTE. VAL. CATVLLINO. V. PP. SVPER.
(ORELL., 508.)

(2) « A nullo judice præsumi debet ut auctoritate sua ferias aliquas condat. Nec enim imperiales ferias vocari oportet quas administrator edixerit : ac per hoc, si nomine eximuntur, etiam fructu carebunt. » (*Cod. Justin.*, lib. III, t. 12, l. 4.)

(3) *Cod. Theod.*, t. VI, p. 340.

episcopis arbitris et judicibus uti permiserunt, sed non nisi ex consensu partium, nec nisi inter christianos litigantes (1); nec principibus in mentem venisse videtur hominem alterius sectæ ordinario judici subtrahere et christiani episcopi cognitioni subdere. Iidem principes eodem anno, nonnullis ante mensibus (2), Judæis concesserant, ut etiam inter homines ejusdem sectæ, non modo in rebus ad suam religionem pertinentibus, sed etiam in civilibus negotiis patriarchis judicibus, uti possent. Quodquidem privilegium anno sequenti fere sublatum fuit nec nisi de religione, episcopis et forsan patriarchis Judæorum judicare permissum (3).

Sed, omissis, quæ de episcopali jurisdictione ab Honorio postea sancita fuerunt, lex una Constantini data primo die mensis octobris, Basso et Ablavio consulibus, id est anno 331 huic legi, de qua loquimur, quamque Tillemontius acerrime defendit (4), penitus repugnare videtur.

Imp. Constantinus A. ad universos Provinciales.

« Nemo post litem contestatam ordinariæ sedis declinet « examen : nec prius præfecti prætorio Orientis vel alterius « specialis judicis imploret auxilium : sed appellatione legibus « facta, ad sacrum auditorium veniat (5). »

Quaquidem lege non modo definitur ut unusquisque, sive alterum in jus vocaverit sive ab altero fuerit vocatus, ordinario foro se subtrahere non possit, quod jam, cum lege prædicta ad Ablavium parum quadrat; sed speciali præscripto cavetur, ne quis ad ullum specialem judicem confugiat, sed fiat solum ab ordinaria sede ad sacrum, id est principis auditorium, provocatio.

(1) Illa lex est dat. VI kal. aug. anni 398. (*Cod. Just.*, I, 4, 7.)

(2) Ea lex est dat. non. febr. anni 398. (*Cod. Theod.*, II, t. 1, l. 10.)

(3) Quotiens de religione agitur episcopos convenit judicare : cæteras vero causas, quæ ad ordinarios cognitores vel ad usum publici juris pertinent, legibus oportet audiri. XIII kal. sept. 399. (*Cod. Theod.*, XVI, t. 2, l. 1.)

(4) *Histoire des Empereurs*, t. IV, p. 275, 296, et in notula, p. 664.

(5) *Cod. Just.*, lib. III, tit. 13, l. 4.

De aliis Constantini legibus alius viderit, si christianæ doctrinæ reipsa omnino consentaneæ sint. In codice Theodosiano multæ sunt quas communis utilitatis provide et salubriter habita ratio dictasse, aliæ quas benignitas et clementia et æquitas et sanctissimus humanitatis respectus suasisse, et ex animo oriri vere christiano videantur. Nonnullæ sunt, quæ non stylo sed pugionis mucrone scriptæ dici possint; aliæ denique quæ paganum animum et veterum moribus addictum, vel penitus imbutum redoleant (1).

Uno verbo si cui otiosum esset Constantinianarum legum summam, cum iis quas Trajanus vel Antoninus Pius, vel Marcus Aurelius sanxerunt conferre (has certe Constantini excipio quæ ad rem christianam specialiter attinent) incertus forsan hæsitaret, utri horum principum christiani nominis honos esset merito concedendus.

(1) Vid. exempl. grat. *Cod. Theod.*, IX, t. 7, l. 1; t. 9, l. 1; t. 12, l. 2; l. XII, t. 1, l. 6.

CAPUT II.

A defuncto Licinio usque ad Constantini mortem.

(324-337.)

Non nihi mens est de Ariana hæresi disserere, nec singula longæ et turbulentæ controversiæ momenta persequi, nec referre quibus causis ista contentio creverit, quas vices expleverit, quomodo in Orientem fere totum sese propagaverit. Hic, iterum dicam, non questiones ipsas, quas Arius et Athanasius movebant tractare conamur, *tenues grandia;* sed intueri solum, et, quantum poterimus, explanare, quem ad modum et qua mente Constantinus imperator his rebus penitus ecclesiasticis sese immiscuerit.

Paucissima quæ de Arianismi initiis Moshemius in primo institutionum Historiæ Ecclesiasticæ libro delineavit, hic describere sufficiet antequam rem ipsam aggrediamur.

« Alexander episcopus Alexandrinus, incertum qua occasione, de hoc dogmate (de tribus in uno Deo personis) in concessu presbyterorum liberius disserebat, atque inter alia filium eamdem quam pater, non dignitatem tantum, verum etiam *essentiam* habere tradebat. Presbyterorum vero unus Arius, vir subtilis ingenii et facundus, forte odio in episcopum suum inflatus, primum vera esse negabat, quæ ipse proposuisset, eo quod Sabellianis erroribus ab Ecclesia damnatis cognata essent : deinde ad alteram extremitatem delapsus filium toto genere seu ipsa essentia differe a patre contendebat : esse nimirum principem et nobilissimam tantum naturarum a Deo patre ex nihilo conditarum, instrumentum quo pater in

fabricanda rerum universitate usus esset, et patre idcirco natura et dignitate minorem. De Spiritu Sancto quemadmodum senserit, non æque manifestum est...

« Vix in vulgus Arii dogma exierat, quum plurimos in Ægypto vicinisque provinciis fautores, et in his viros ingenio et dignitate præstantes, inveniret. Alexander ex adverso duplici concilio Alexandriæ coacto, Arium læsæ majestatis divinæ publice condemnabat, ecclesiaque exturbabat. Hac ille contumelia minime frangebatur, sed in Palæstinam concedens, variis epistolis ad summos viros missis, veritatem sententiæ suæ demonstrare studebat, fortunatis adeo auspiciis, ut infinitos, maxime Eusebium Nicomediensem, summæ auctoritatis virum in partes suas pertraheret (1). »

Hic Constantinus imperator in scenam inducitur. Non is erat Constantinus qui turbari in imperio vel in Ecclesia pateretur. Victo nuperrime Licinio et omni potentia exuto, jam dimidium propositi se implevisse confidebat, quoniam jam immensum totius imperii corpus, remotis omnibus æmulis, tenebat; sed opus omne non ante absolutum arbitrabatur, quam pacata etiam animorum discordia, omnium omnino civium de numinis cultu opinionem ad unius habitudinis ritusque formam traduxisset. Ita, ut ipse scribit Constantinus, quanquam edicto solemni plenam de religionibus libertatem unicuique sanxerat, ad veterem imperii formam, in qua idem civilium idem sacrarum rerum ordo et status, et penes unum utriusque rei arbitrium erat, mutatis tantum religionis institutis, remeare optabat (2).

Itaque omnis contentionis impatiens, quæ componendæ firmandæque unitati occurrere poterat, durante adhuc in Africa ecclesiastica et pene civili dissensione, molestissime accepit novis quæstionibus Lybiam, Bithyniam, vicinasque provincias ita agitari, ut in publicis theatris christianorum instituta sannionibus subjicerentur. Tum Nicomediæ degebat, omnesque, quid de re agendum censeret, anxii exspectabant.

(1) Moshem., *Inst. Hist. eccles.*, sæcul. IV, pars 2, p. 184.

(2) Vide initium epistolæ Constantini ad Alexandrum et Arium missæ. (Euseb., *Vit. Const.*, II, 63.)

Litteras primum, animos conciliandi causa, ad Alexandrum Ariumque direxit, quibus dicebat se, cum dissensionibus gravissimis Africa nuper laboraret, ad concordiam inter Afros restituendam, quosdam ex Oriente arcessere voluisse; sed jam nunc videre se has regiones, ex quibus petendam aliis medicinam speraverat, multo majore curatione egere, se itaque mutuæ dissensionis arbitrum et pacis moderatorem ipsis exhibere : Sibi videri *in causa prorsus exigua atque inani, utrumque fuisse occupatum;* alterum paulo curiosius occulta atque ab ipsa natura involuta scrutatum esse; alterum inconsultius inutilia ac tacenda effutiisse : nec fuisse his interrogationibus neque his responsionibus locum : hujusce modi controversias vanas esse otiosorum certationes, ad ingenii acumen exercendum idoneas, quasque in publicum proferre et intempestivum est, nec sine periculo. Quapropter, cum uterque peccaverit, alterum alteri ignoscere debere, quippe qui non penitus dissentiant unamque et eamdem de Deo teneant sententiam. Nec se tamen, *in levicula et stulta quæstione alterutrum velle cogere ut alterius opinionem amplectatur, sed ad se pertinere ne vanis disputationibus omnia in Ecclesiis misceantur* (1).

Hæc est epistolæ summa quæ apud Eusebium et Socratem invenitur.

Sic Constantinus in ecclesiastica controversia arbitri et moderatoris personam ultro usurpabat. Imo, velut in sacro auditorio judex, rem de qua ambigebatur, nullius esse momenti, futilem, nec ad religionis interiora pertinentem asseverabat; utrique parti, quæ de ea re vellet, sentire permittebat, et ad concordiam quam citissime conciliandam ambos hortabatur.

Nec res tamen ex proposito cessit, nec Osius Cordubæ episcopus, ab imperatore ad sedandum tumultum Alexandriam missus concitatos animos compescere potuit. Arius ab illo imperatoris administro damnatus ad Constantinum scripsisse videtur, modo submisse, ut qui ejus auxilium contra adversarios imploraret, modo arroganter, ut quem tota Libya et ingens

(1) Euseb., *Vit. Const.*, II, 63. -- Socrat., *Hist. eccles*, I, 4.

populi multido sectaretur (1). Interim Alexandrinus populus, ingenio mobili et ad turbas propensior effervescebat, et statuæ principis diversis urbis locis evertebantur. Tum imperator missa in Ægyptum legatione, Arium et ejus opinionis conscios, edicto, ut aiunt lacessebat (2).

Singulare prorsus hoc edictum est quod Baronius refert, quocumque tempore missum existimes, sive cum Epiphanio ante habitum Nicææ concilium, sive cum Socrate post idem concilium, et certe est memoratis supra ejusdem Constantini ad Arium litteris omnino dissonum. Hoc multiplicis ingenii opus esse videtur, fluctuantemque animum indicat et in diversa tractum. Hic christianis sententiis pagana vocabula mixta deprehenduntur : ad hoc, genus dicendi varium et non uno tenore fluens, modo tragicum et tanquam Apocalypsim referens, et Orientis coloribus tinctum, modo pedestris sermo, et familiaris, et e medio sumptus : nunc irarum impetus, minæque et fulmina orationis ; nunc indigni imperatore et christiano homine joci, et theologica ratiocinatio quæ tirunculum redolebat, et suasoriæ adhortationes, et ad colloquium benigna invitatio (3).

Incertum est qua mente Arius imperatoris rescriptum acceperit : at minime dubium est ejus pertinaciam non subactam fuisse. Epiphanius eum tradit, post priorem Constantini epistolam, convenisse imperatorem, illumque verborum ambagibus et laqueis ita implicuisse, ut videretur princeps, talium disputationum rudis et insolitus, nihil habere quod sequeretur, satisque sibi duceret, si jurejurando Arium obstringeret, ne in eumdem errorem delaberetur (4). Colloquium illud inter Arium et imperatorem, post novissimam Constantini epistolam, habitum fuisse Tillemontio placet (5), nec sine veri

(1) Epist. Constant. Ario et Arianis, apud Baronium, *Ann. eccles.*, 319, § 12.

(2) Syncletius et Gaudeus hujus legationis duces erant, et imperatorium rescriptum afferebant.

(3) Vide has litteras apud Baronium, *Ann. eccles.*, 319, 12, et *In Concil. gen. Labb.*, tom. II, p. 170.

(4) Epiph., *Hæres.*, LXIX, 9.

(5) Tillemont, *Arius.* — *Mém. sur l'Hist. eccl.*, t. VI, not. 6.

specie, quum in hujusce epistolæ fine, ipse ultro, ei, si congredi vellet, sui facultatem dedisset.

At cum nec colloquia, nec litteræ ad componendos animos valerent, multis insuper de Paschæ celebratione dissentientibus, Constantinus generale Concilium convocavit, et episcopos per edictum undique divulgatum (1) et per litteras honorifice scriptas (2), ut Nicæam, adhibito cursu publico, properarent, admonuit.

Nihil est de quo minus inter eruditos conveniat quam de concilio Nicæno. De tempore, anno, mense, loco ejus, de numero sedentium, de præside, de legibus ab eo rogatis inter veteres scriptores ambigitur. Id autem minime dubium videtur ab uno imperatore concilium illud Nicæam fuisse convocatum, proque vero inter plerosque receptum est circa Junium mensem anni 325 in regio urbis palatio sedisse.

Antequam Constantinus concilium auspicaretur, multi criminationibus mutuis apud eum inter se lacessere cœperunt, alii coram, alii oblatis libellis; omnes imperatoris judicium precati. Is de talibus cognitionem recipere noluit, omnibusque ad fraternam concordiam invitatis, libellos flammis subjecit (3). Eusebius pariter tradit, quanquam omnis aderat, nihil tamen episcoporum conventum, ante imperatoris adventum inchoavisse (4). Præsente tamen Ario, in morem prolusionis cum eo digladiabantur, in eaque quæ erant ab eo proposita inquirebant, sedulo caventes ne in alterutram partem temere sententiam pronuntiarent (5).

Stato die, stantibus universis, Constantinus imperator regio cultu ornatus (6) concessum ingressus est, et ad summum

(1) Ἐφοίτα πανταχοῦ τὸ παγάγγελμα. (EUSEB., *Vit. Const.*, III, 6.)

(2) Γράμμασι τιμητικοῖς. (EUSEB., *Vit. Const.*, III, 6.)

(3) SOZOMEN., *Hist. eccles.*, I, 16.

(4) EUSEB., *Vit. Const.*, III, 10.

(5) SOZOM., *Hist. eccles.*, I, 18. — SOCRAT., *Hist. eccles.*,

(6) Λαμπρὰν μὲν ὥσπερ φωτὸς μαρμαρυγαῖς ἐξαστράπτων περιβολὴν ἀλουργίδος, πυρωποῖς καταλαμπόμενος ἀκτῖσι, χρυσοῦ τε καὶ λίθων πολυτελῶν διαυγέσι φέγγεσι κοσμούμενος. (EUSEB., *Vit. Const.*, III, 10.)

locum consedit (1), omnibusque, qui aderant in concilio, dedit mandatum ut et ipsi considerent (2).

Dein postquam orator, de cujus nomine non omnes consentiunt (3), imperatorem laudibus extulisset, Constantinus episcopos allocutus est : se bono pacis eos in unum coegisse, sperareque fore ut dissensionibus finem imponerent, itaque de se optime mererentur, fidemque suam implerent. Proinde se eis, ut liberius de religione disquirerent, copiam dare (4).

Non intelligo quomodo de vero concilii Nicæni præside disputare possit qui ea pauca quæ ecclesiastici scriptores, Eusebius, Socrates et Sozomenus de hoc concilio tradunt, perlegerit, nisi de nomine, non de re ipsa dubitet. Urbis Romæ pontificem abfuisse inter omnes constat, duosque ejus presbyteros *Vitum* et *Vincentium* illius locum supplevisse : sed haud scio, nec veteres auctores rerum memorant, quas in concilio partes legati Sylvestri susceperint, dum Constantinum imperatorem plane ostendunt se in disceptatione publica interponentem, toleranter ac placide omnibus animum attendentem, sententias acri studio prolatas comiter excipientem, cum utraque parte disserentem, altercantes ultra modum benigne reconciliantem, et denique omni ope atque opera nitentem ut discordes animos ad unam eamdemque opinionem firmumque consensum adduceret (5).

Nonne autem ille concilio præfuisse jure ac merito dici potest, qui ita se in conventu agebat, et controversiæ moderabatur, qui se jam antea litis ejusdem arbitrum professus erat,

(1) Eusebius et Socrates adjiciunt : *Episcopis innuentibus.*

(2) SOZOM., *Hist. eccles.*, I, 18.

(3) Apud SOZOM., Eusebius ipse Cæsariensis, *Hist. eccles*, I, 18. — Apud THEODOR., Eustathius Antiochensis, *Hist. eccles.*, I, 7.

(4) *Αὖθις περὶ τῶν δογμάτων ἐπιμελέστερον ἐπισκέψασθαι τῇ αὐτῶν γνώμῃ ἐπέτρεψεν.* (SOCRAT., *Hist. eccles.*, I, 5.)

Sozomenus imperatorem inducit ipsa de re, de qua cognitio fiebat, breviter disserentem, sacras litteras ad memoriam episcoporum revocantem, quidque sequi deberent, velut e cathedra perdocentem. (Soz., *Hist. eccles.*, I, 18.)

(5) EUSEB., *Vit. Const.*, III, 13. — SOCRAT., *Hist. eccles.*, I, 5. — SOZOM., *Hist. eccles*, I, 19.

qui episcopos ex diversis locis Nicæam acciverat, quem omnes pacis auctorem, libertatis restitutorem, christianæ doctrinæ sospitem venerabantur, potius quam Osius Cordubensis, quo legato frustra apud Alexandrinos tumultuantes nuperrime usus erat; vel Alexander Alexandriæ episcopus, cujus ipse temeritatem antea corripuerat, quique non judicis in hac re sed rei personam sustinebat.

Quid concilium sanxerit nemo ignorat. Arius et qui ejus opinioni favebant damnati, et scripta fidei, ut dicitur, formula, repertumque novum vocabulum quo res de qua litigabant, definite statuebatur, scilicet ὁμοούσιος quod latino sermone est *consubstantialis*. Vocabulum illud ab ipso imperatore fuisse inductum Eusebius refert (1).

Relatum est etiam in eodem concilio de Novatianis; nec, dum eas res attingeret, Constantinus ire se in opus alienum existimavit. Scilicet cum Acesio Novatianorum episcopo imperatorem collocutum esse Socrates tradit, et his verbis austeriorem ejus arctioremque disciplinam increpuisse : « Erige tibi scalam, Acesi, et ad cœlum solus ascendito (2). »

Non irrita cecidere concilii decreta. Namque imperator pontificalibus vere litteris ea in publicum vulgavit atque confirmavit.

Scilicet Alexandrinæ ecclesiæ scripsit se, concordiæ restituendæ causa, magnum episcoporum cœtum Nicæam accivisse, seque cum eis dedisse operam, ut, sublata omni animorum dissensione, veritas diligenter investigaretur. « Quod autem trecentis amplius episcopis visum est, aiebat, « non est aliud putandum quam Dei ipsius sententia;... ne- « minem igitur hæsitare, neminem interponere moram, at « omnes secum, quod decretum est, debere amplecti (3). »

Quodque ad Paschale festum attinebat, item imperator ecclesiis scripsit.

Se memorabat in animum jam pridem induxisse ut in ec-

(1) Eusebii epistola iis quibus præerat. (SOCRAT., I, 8. — THEOD., I, 12.)

(2) SOCRAT., *Hist. eccles*, I, 7. — THEOD., *Hist. eccles.*, I, 21.

(3) SOCRAT., *Hist. eccles.*, I, 6.

clesiis una doctrina, sincera charitas, et consentiens erga Deum religionis cultus servaretur. Quam ad finem assequendam, quoniam alia ratione id fieri non posse videretur, magnam episcoporum turbam se in unum coegisse, et cum eis una adfuisse. Nihil hic præteritum fuisse quod in posterum dissensionis aut controversiæ causa fieri posset. Placuisse igitur, ut omnes ubique uno et eodem die Paschale festum celebrarent. Neminem enim non intelligere quam grave, quam indecorum sit ut in re tam sancta et tam solemni ulla dissensio existat, et iisdem diebus alii jejuniis vacent, alii agitent convivia ; et post dies paschales, alii in festis et animorum remissione versentur, alii prescriptis jejuniis se dedant. Rursus et indignissimum videri et a christianis animis alienissimum, christianos in hac celebranda solemnitate Judæorum ritum et consuetudinem imitari (1).

Latæ simul adversus Arium ejusque fautores sententiæ imperator pœnam adscripsit, Ariusque et qui ei favebant multati fuere exilio, cui se Eusebius Nicomediensis et quidam alii, recepta non libente animo fidei formula, subtraxere.

Imo, Constantinus ut Arium ejusque sectatores infames faceret, Porphyrianos nuncupari ejusque opera in medium adducta concremari jussit, sanxitque, ut, si quis librum ab Ario compositum occultasse deprehenderetur, statim comprehensus capite plecteretur (2). Tradit Theodoretus Constantinum ecclesiæ Nicomediensi scripsisse, ut doctrinæ concilii adhæresceret, minatumque esse eos qui Arianos laudare, vel sequi sustinerent, supplicio se affecturum (3).

Rebus ecclesiasticis ita ordinatis, et conciliata, ut rebatur, pace, et imperii vicennalibus convivio frequenti celebratis, Constantinus, antequam discederent episcopos admonuit, ut modeste erga tenuiores, et concordibus inter sese animis degerent, seduloque vitarent quidquid novis dissensionibus locum dare posset (4).

(1) Socrat., *Hist. eccles.*, I, 6.

(2) Victor Constantinus Maximus Augustus Episcopis et populo S. (Socrat., *Hist. eccles.*, I, 6. — Sozom., *Hist. eccles.*, I)

(3) Theodor., *Hist. eccles.*, I, 20.

(4) Euseb., *Vit. Const.*, III, 20.

Territi primum edictis principis Ariani paulatim animos resumere cœperunt, occultisque artibus studia hominum accendere, a nonnullis clam adjuti, qui ab eorum factione, metu potius quam ex animo, defecerant. Tum Constantinus antequam ex Oriente abscederet, jussit ut Eusebius Nicomediensis et Theognis Nicænus, Arianorum fautores, ecclesiis quibus præerant ejicerentur et in exilium relegarentur. Simul Nicomedienses Nicænosque edicto monebat, ut sanctiores sibi episcopos eligerent, nemoque oblivisceretur, si tumultuari auderet, se pacis *debitæque erga Deum reverentiæ custodem*, pœnas ab eo petiturum (1).

Jam tertius annus effluxerat ex quo Eusebius Nicomediensis et Theognis Nicænus exulabant, cum, suadente Constantia sorore, et instigante presbytero qui ei animam agenti in secretis aderat, et innocentiam eorum pertinaciter objicientibus, Constantinus non modo Eusebium et Theognidem ab exilio revocavit, verum etiam, dimotis, quos in eorum loca subdiderat, in sedes pristinas restituit.

Tum nova seditionis semina gliscere, tum mobilis imperatoris animus in diversa flecti cœpit, tum surdæ in eos quibuscum Nicææ imperator consenserat, et præcipue in Athanasium, qui recens Alexandro successerat, allegari criminationes, reditusque Arii conciliari : « doctrinæ Nicænæ Arius consentiat, inquit imperator, et ego non modo eum in conspectum meum venire patiar, sed etiam honorifice Alexandriam dimittam (2). »

Simul nonnullis litteris dubitantem adhuc monebat ut, publico cursu usus, redire properaret. Cumque Arius et Euzoïus Constantino interroganti, coram responderent, se doctrinæ Nicænæ assentiri ; scriptaque insuper fidei formula, ut imperator voluerat, id testarentur (3), rogarentque principem, ut sublatis tandem omnibus argutiis, sibi per eum, in ecclesias suas revertendi copia fieret ; jussit imperator ut Alexandriam reverterentur iisque rursus ecclesiæ paterent. Athanasius

(1) Gelasius Cyzic., III, 2, 3. — Theod., I, 20.

(2) Socrat., *Hist. eccles.*, I, 19.

(3) In hac professione vox *consubstantialis* non invenitur.

vero, quanquam ab Eusebio Nicomediensi litteras acceperat, quibus, quæ imperatori placerent, significabatur, et male de se agi, si aditum abnueret (1), neutiquam cessit, scribentique Constantino ipsi, id fieri non posse respondit (2). Quod graviter ferens imperator minacem epistolam ad eum in hunc modum scripsit : « Cum voluntatis meæ rationem acceperis, fac omnibus in ecclesiam ingredi cupientibus liberum aditum præbeas. Nam si intellexero quemquam, qui Ecclesiæ particeps fieri cupiat, vel impeditum a te esse vel introitu prohibitum, mittam illico aliquem e meis qui mandato meo te de gradu dimoveat, locumque tuum alteri tribuat (3). »

Nec tamen verba res extemplo secuta est ; at supersedere placuit, donec mota de Eustathio Anthiochensi contentio ad exitum perducta esset, quem ut Sabelliani erroris participem, et ob malos mores notatum, Eusebius Nicomediensis et multi alii Asiani episcopi, facta quasi conjuratione, fere indicta causa, in tumultuario Antiochiæ concilio, episcopatu demoveverunt (4). Propter cujus motionem Antiochensis populus exarsit adeo, ut parum abfuerit quin multitudo gladios stringeret.

Iratus imperator unum e primariis satellitibus misit qui seditionem restingueret, cumque ii qui Eustathium ejecerant ad eum scripsissent sibi et universo populo gratum fore, si episcopatus ad Eusebium Cæsariensem deferretur, rursusque Eusebius hunc honorem detrectare videretur, Constantinus, laudata Eusebii modestia, et Antiochensibus ad concordiam invitatis (5), Euphronium Cappadocem presbyterum vel Georgium Arethusium Antiochenæ ecclesiæ præficiendos designavit, quorum prior in locum Eustathii suffectus est (6).

(1) *Athan. Cont. Arian.*, orat , t. I, p. 305. — *Apolog.*, tom. II, p. 778.

(2) SOCRAT., *Hist. eccles.*, I, 20.

(3) SOCRAT., *Hist. eccles.*, I, 20. — ATHAN., loc. cit.

(4) SOZOM , *Hist. eccles.*, II, 18.

(5) Vide tres Constantini litteras de hac re apud Eusebium (*Vit. Const.*, III, 58, 59, 60.

Πρὸς τὸν λαὸν τῶν Ἀντιοχέων ἔγραψα, ὅπερ ἀρεστόν τε τῷ Θεῷ ἦν καὶ ἁρμόζον τῇ ἐκκλησίᾳ. (EUSEB., *Vit. Const.*, III, 60.

(6) SOZOM., *Hist. eccles.*, II, 18.

Eodem fere tempore, edictum Imperator adversus hæreticos, ad provinciarum præfectos misit, quo in eos animadverti graviter, nisi mature resipiscerent, præcipiebat : « patiemur-« ne, aiebat, ejusmodi malorum contagionem longius serpere, « cum longa dilatio faciat, ut sani ac valentes ea, tanquam pes-« tifero morbo, inficientur ? Quin potius istas tandem ejus-« modi pravitatis ut ita dicam radices animadversione et pœna « publica amputemus...

« Mandamus igitur per hanc legem ne quis vestrum post-« hac conventus cogere audeat ; et propterea etiam jubemus « ut universæ ædes vestræ, in quibus cœtus illos celebrare « consuevistis, penitus evertantur, et hæc cautio eo vim suam « porrigat, ut non modo non in publicis, sed ne in privatis « quidem ædificiis, aut in locis ullis separatis, hujus vestræ « superstitiosæ amentiæ factiones coeant... At vero, si qui ves-« trum veræ et sinceræ religionis curam habeant, ad Catho-« licam Ecclesiam revertantur, et ejus sanctitatis sint partici-« pes... Nostræ enim prosperæ ac beatæ vitæ rationi, qua Dei « beneficio fruimur, est admodum consentaneum, ut qui æta-« tem bona spe sustentatam degant, ab omni vago et cæco « errore ad rectam viam, a tenebris ad lucem, ab inscitia « ad veritatem, a morte denique ad salutem traducan-« tur... (1). »

In hoc edicto nihil de Arianis, tanquam jam nulli essent. Recepto nempe in gratiam Ario, et Eusebio non modo in pristinos honores, verum etiam in consilium suum admisso, Constantinus sublatam penitus et restinctam Arianam contentionem existimabat, et pertinaces et fere factiosos habebat qui repugnabant, Athanasio præcipue subiratus quod Alexandrinæ ecclesiæ aditum Ario, spretis ipsius mandatis, interclusisset.

Cognita hac principis voluntate Eusebius, gravi odio in Athanasium incensus per quosdam Meletianæ sectæ varia crimina Alexandrino episcopo objicienda curavit : quæ tum alienis indiciis, tum ipso Athanasio Constantinopolim accito (2)

(1) Euseb., *Vit. Const.*, III, 62, 63.
(2) Theodor., *Hist. eccles.*, I, 26.

et coram respondente falsa esse imperator pervidit, litterasque Alexandrinis scripsit quibus Athanasium falso in crimen vocatum fuisse declarabat. Cujus epistolæ hæc erant extrema verba : « Ipse equidem vestrum episcopum Athanasium lubens admisi, sicque eum affatus sum ut hominem (quemadmodum mihi persuadeo) qui Deum sancte religioseque colit (1). »

Vincunt tamen ea, quæ licet primum abjecta, sæpissime repetuntur. Assiduis nimirum criminantium querelis fessus imperator Cæsareæ in Palestina concilium convocari et in ea urbe judicium de Athanasio exerceri jussit. Ad quod, ab ipso imperatore vocatus Athanasius non venit. Tunc Constantinus, quoniam suspicabatur, ut dicit Theodoretus, Athanasium Cæsareæ adesse, propter hujusce urbis antistitem minime velle (2), ut concilium Tyri cogeretur imperavit, omnes et in primis Athanasium, nisi obsequerentur, his verbis minatus : « Quod si quis, sicut minime suspicor, nostrum mandatum etiam nunc callide rejicere studens, ad concilium adventare recuset : hinc a nobis aliquis mittetur qui eum *regio mandato de dignitate dejiciat, doceatque non decere quemquam decisionibus imperatoris pro veritate editis adversari* (3) » Simul concilio quæ et quibus animis tractanda essent ipse regie scribebat, et Dionysio consulari viro dabat in mandatis ut admoneret eos quos ad concilium accedere oporteret, et videret accurate ne quid contra ordinem rationemque fieret (4).

Hæsit aliquamdiu Athanasius utrum Alexandriæ maneret, an Constantini jussis obsequeretur ; nec apparebat inanes imperatorem minas jactasse, nec dubitaturum, abnuentem adhibita vi coercere, qui unum ex Alexandrinis presbyteris Macarium iisdem criminibus implicitum comprehendi, et vinculis constrictum ad concilium adduci jusserat. Tyrum igitur

(1) THEODOR., *Hist. eccles.*, I, 27. — SOCRAT., *Hist. eccles.*, I, 20.

(2) THEOD., *Hist. eccles.*, I, 28.

(3) THEOD., *Hist. eccles.*, I, 29.

Athanasio Constantinus scripsisse si non sua sponte vellet ad Concilium accedere, vi eo deductum iri, Socrates refert (*Hist. eccles.*, II, 20).

(4) THEOD., *Imperatoris Constantini ad Concilium epistola* (*Hist. eccles.*, I, 29. — EUSEB., *Vit. Const.*, IV, 42.

cum episcopis fere quinquaginta, quibus ipse niteretur, venit (1). Adfuit concilio, ut imperatum erat, Dionysius Constantini legatus, apparitoribus, ut in re forensi, circumsessus, qui diaconorum vices explebant (2), audiit et objecta crimina et rei defensionem, legationisque mittendæ in Ægyptum, quæ de rebus allegatis cognosceret, potestatem dedit (3); dein, cum Athanasius et ejus amici reclamarent, et omnia contra jus fieri prædicarent, ad imperatoris ipsius judicium provocationem, anxius quid faceret, accepit (4).

Athanasius non exspectavit quid sequeretur, sed clam ex urbe egressus, imperatori, dum Constantinopolim intraret, obvium sese ultro obtulit, sibique illatam injuriam destricte questus est (5). Fugitivum Constantinus, adductis superciliis excepit, ac parum abfuit quin eum tractari acerbius et ex urbe ejici præciperet. Non potuit tamen jure factam ad se provocationem recusare.

Interea, relicta Tyro, et absente Athanasio damnato, concilium, ut litteris imperatoris jubebatur, Hierosolyma se contulerat, ut sacræ ædis dedicationi interesset, Ariumque in Ecclesiam denuo reciperet. Nempe id etiam Constantinus fieri jusserat, addito « *se fidem Arii et Euzoii perspectam habere* (6). »

Continuo aliæ imperatoris litteræ iis redduntur de Athanasio. Significabat Constantinus se mutuis eorum altercationibus fessum jam esse, querebaturque, quod neglecto erga Deum obsequio, privata odia diutius æquo exercerent; commemorabat se suaque opera barbaros etiam ad veri Dei cultum venisse, quem observari a se defendique cognoverant. Proinde jubere se ut omnes ad se Constantinopolim properent gestarumque ab ipsis rerum sibi rationem reddant; se provisurum

(1) Epiph., *Hæres.*, LXVIII, p. 7. — Athan., *Apolog.*, p. 795, 797.

(2) Euseb., *Vit. Const.*, IV, 42. — Athanas., *ad Constantium Apolog.*, p. 728.

(3) Athanas., *Apolog.*, p. 789.

(4) Athanas., *Apolog.*, p. 790 et suiv.

(5) Theodor., *Hist. eccles.*, I, 30. — Socrat., *Hist. eccles.*, I, 22. — Athanas., *Apolog.*, p. 804.

(6) Socrat., *Hist. eccles.*, I, 22.

diligenter ut dissipatis exstinctisque religionis christianæ hostibus, omnia quæ in sacra Dei lege continentur integra et incorrupta maneant (1).

Acceptis Constantini litteris, alii in sedes suas revertuntur, alii jussis obsequentiores, Constantinopolim contendunt. Ibi nova in Athanasium tela conjici : tandemque accusatoribus morigerans imperator Athanasium in exilium ejicit.

Jam imperatoris jussu Nicæna de Ario sententia revocata ac sublata Hierosolymis fuerat. Supererat ut reipsa in Ecclesiam reciperetur, quod Alexander Constantinopolis episcopus fieri posse negabat. Tunc etiam regiam Constantinus interposuit auctoritatem, evocatoque ad se Ario, et ejus fide in colloquio explorata, Alexandrum adesse jussit, repressaque omni senis expostulatione, præcepit ut die crastino ecclesiæ fores Ario paterent, eique ad sacram communionem accedere liceret (2).

Quod jussum intercepit subitus et inexplicabilis morbus, quo eodem die Arius exanimatus est. Frustra post tragicam hominis hujusce mortem ecclesiastici viri christianæque virgines ab imperatore petierunt ut Athanasio ignosceret. Stetit sententia. Sed tanquam æquabilem juris rationem ostentans, Johannem episcopum Meletianum securiter superbientem, et odiorum semina undique jacientem pariter exulare jussit. Hic rerum ecclesiasticarum administrationis et fere vitæ finis Constantino fuit.

Quis vero has Arianæ controversiæ vices nobis tradidit ?

Ecclesiastici ipsi scriptores, quorum fides, licet in multis rebus merito suspecta, tum certe accipienda est, cum inter se omnino consentiant, neque quidquam alicujus momenti iis opponi possit. Nec enim ab iis petimus quid de sacrosancta Trinitate Constantinus penitus senserit, sed quid in re omnino ecclesiastica egerit, quid decreverit, quid sanxerit; imo, an aliquid in tali re vel decreverit, vel sanxerit. In omni autem quæstione res ipsæ pro firmissimis argumentis habendæ sunt, maxime cum neque dubiæ sunt et extra controversiam positæ.

(1) SOCRAT., *Hist. eccles.*, I, 22. — SOZOM., II, 28. — ATHAN., *Apolog.*, 803, 804.

(2) SOCRAT., *Hist. eccl.*, I, 25.

Id autem, quod demonstrare aggressi sumus, res ipsæ apertissime et liquidissime proclamant. Certe ecclesiasticæ civilesque res inter se arctissimo vinculo connectebantur, ita ut cum jam de Trinitate ageretur, tunc mentes statim undique exardescebant, turbabatur multitudo, obstrepebant seditiones, et necesse erat principem intercedere, ne quid detrimenti ex his animorum motibus Respublica caperet. At Constantinus in hac Ariana contentione, et in eo qui subsecutus est civili tumultu, non tantum ea curavit, quibus publicæ tranquillitati consuleret, sed ipse se toti controversiæ ab initio immiscuit; ipse rebus ad Ecclesiam solam, etiam ad interiorem christianismi disciplinam spectantibus, non dico intervenit, quod jam τοῦ τῶν ἐκτὸς Ἐπισκόπου (1) ministerium excedebat, sed ut Dei famulus, ut vicarius Christi, ut episcoporum præses et dominus, ut is penes quem ecclesiasticarum rerum summa erat, ut denique vere Pontifex Maximus, nullo adversante, imo omnibus consentientibus, præfuit.

Quis enim, cum totus Oriens diversis studiis distraheretur, aliique Ario, alii Alexandro faverent, esse aliquem virum in Occidente, in antiqua orbis Romani eademque gentilitatis arce suspicatus est, qui ex Petri apostoli hæreditate, primatum in universa christianorum republica tenebat. Per longam annorum seriem, qua, imperante Constantino, Ariana controversia duravit, nulla fere Romani pontificis mentio apud ecclesiasticos scriptores reperitur; et ea tempestate, qua concilium Nicænum cogebatur, de hujusce pontificis nomine non omnes consentiunt, cum Sylvestrum plerique, Socrates Julium eum nominet (2).

At verus et indubitatus is est Pontifex Maximus, non dico jure, at certe reipsa, qui vix exorta inter clericos quæstione, et turbatis passim ob id animis, Ario et Alexandro ea quæ supra memoravimus scribit, et in causa omnino ecclesiastica, rerum et hominum sine ulla dubitatione judicium suscipit; qui postquam et adhortationes et mandata nihil profecere, magnum episcoporum numerum Nicæam convenire jubet, quo

(1) Euseb., *Vit. Const.*, IV, 24.
(2) Socrat., *Hist. eccles.*, I, 10.

facilius, multorum assensu fretus, pacem animorum conciliet.

Jam utrum episcopos Constantinus, adhibita reverentia, ut tradit Eusebius, invitaverit, an imperatorie acciverit, quid tandem refert? Tritum usu communi verbum est potestatem, etiam cum supplicet, cogere. At enim Alexander episcopus Alexandrinus ad Sylvestrum Romanum Pontificem litteras miserat, quibus se Arium et nonnullos ejus fautores ex ecclesia ejecisse significabat (1). Quid postea? Num ex hoc sequitur Constantinum adversus eumdem pontificem eo usum esse obsequio, ut ab eo peteret, ut sibi concilium convocare liceret, vel eum admoneret, se judice, et pacis et rei christianæ interesse, si concilium ab eo cogeretur. Non equidem puto, nec tale quidquam a coævis scriptoribus traditur, et id obsequium ab ingenio Constantini certe alienissimum erat. Unus Constantinus et convocandorum episcoporum consilium iniit, et eos convocavit.

Pontifex etiam Maximus is imperator qui Nicææ sedentibus episcopis et deliberantibus, licet theologicarum rerum imperitus, aderat et præerat.

Non mediocriter dubito an Constantinus vagis incertisque disserentium mentibus quasi facem sacram prætulerit, inductoque vocabulo *consubstantiali*, fere omnes ad concordiam traduxerit. Certe is Eusebii locus, quo id refertur, et ea pars quæ in disputationibus his imperatoris fuisse dicitur, principem in sacra curia locum Constantinum tenuisse plane indicant. Nonne vere pontificales litteræ quas ad ecclesias, et ad populum et ad episcopos, post Nicænum concilium, Constantiuus scripsit? Quis, nisi Pontifex Maximus Eusebium et Theognidem episcopos ab ecclesia demovere poterat, aliosque in eorum sedes sufficiendos curare, dein hos quoque ab episcopatu dejicere, Eusebio et Theognide revocatis? Quis, nisi Pontifex Maximus declarare poterat, se Arii doctrinam exploratam et spectatam habere, et imperare ut in Ecclesiam Alexandrinam reciperetur, et repugnanti Athanasio scribere se eum, nisi mandatis pareret, e sede episcopali dejecturum? Deinde cum Antiochense concilium Eustathium e sede expulisset, cui, nisi

(1) S. Hilar., *Fragm. historica*, Lutet., 1693, p. 1331.

Pontifici Maximo scripsere episcopi ut in locum expulsi Eusebium Cæsariensem sufficeret, cui, nisi Pontifici Maximo ipse Eusebius scripsit se oblatum hunc honorem detrectare? Quis denique, nisi Pontifex Maximus, laudata Eusebii modestia, et *allegatis Ecclesiasticis legibus* (1) duos alios ad episcopatum promovendos Antiochensi populo proposuit?

In extrema vitæ parte Constantinus Pontificatum acrius etiam intendere, imperiumque in res Ecclesiasticas arrogantius exercere videtur, nec episcopos resistentes patitur nec suis mandatis segnius obsequentes. Ejus temporis Constantini ad episcopos epistolæ eæ sunt, quas princeps ad præfectos vel procuratores suos scripsisset. Quid sibi placeat, quid eis faciendum sit, quid non, alta voce enuntiat, gestarumque ab iis rerum rationem sibi reddendam esse proclamat. Concilium episcoporum Cæsaream primo properare præcipit, mox Tyrum transferri, misso viro consulari, qui eis intersit, et veluti sacra vice judicet; deinde Hierosolyma episcopos se conferre jubet, et denique Constantinopolim eosdem accedere. Ipse Athanasium interrogat, ipse innocentem eum primo declarat, mox, concilio judicandum tradit, denique ipse novissime eum judicat, damnat, de episcopatu dejicit et in exilium mittit. Ipse episcopis imperat, ut lata de Ario tollatur sententia, et in Ecclesiam ille recipiatur; ipse Arii explorat doctrinam, eamque optimæ esse notæ pronuntiat, ipse Constantinopolitano episcopo imperat ut eum ad sacra mysteria admittat.

Quis iterum dico, Pontificem Maximum Romæ requirat, quem ne consulit quidem imperator, quique dum disputationibus gravissimis totus calet Oriens, imperatorque concilia convocat, episcopos corripit, decreta ecclesiastica per litteras undique divulgat, ad sedes episcopales quos voluerit promovet vel designat, inter paganorum multitudinem, et juxta senatum superstitionibus deditum, romanam ecclesiam, incognitus regit, habetque fortasse potestatis umbram, quam reipsa Constantinus imperator, æmuli impatiens, exercet?

(1) EUSEB., *Vit. Const.*, III, 60.

CONCLUSIO.

Omne hoc dissertationis nostræ propositum in duabus rebus continetur, quarum altera ex Zosimi altera ex quodam Socratis loco constat.

Zosimus enim tradit omnes imperatores romanos Pontificis Maximi honorem lubentissimis animis accepisse atque hoc titulo usos esse, adeoque Constantinum ipsum, licet a recta sacris in rebus via deflexerit et fidem christianorum sit amplexus; primumque inter principes Gratianum Pontificis Maximi stolam a collegio Pontificum oblatam, ut quam induere christianum virum non deceret, abjecisse (1). Rursus Socrates Scholasticus in quinti ecclesiasticæ historiæ libri procemio, quasi sese excusare vellet, quod rebus ecclesiasticis civilia intermisceret, dicit se passim imperatorum mentionem propterea fecisse, quod ex illo tempore quo Christiani esse cœperunt, Ecclesiæ negotia ex illorum nutu pendere visa sunt, atque adeo maxima concilia de eorumdem sententia et convocata fuerunt et etiamnunc convocantur (2).

Quod autem Zosimus et Socrates de christianis generaliter imperatoribus affirmant, id de Constantino Magno verum esse demonstrare tentavimus.

Priorem quæstionem jam ab eruditissimis viris disputatam

(1) Οἱ μὲν οὖν ἄλλοι πάντες αὐτοκράτορες ἀσμενέστατα φαίνονται δεξάμενοι τὴν τιμὴν καὶ τῇ ἐπιγραφῇ χρησάμενοι ταύτῃ, καὶ δὴ καὶ Κωνσταντῖνος, ἐπειδὴ εἰς αὐτὸν ἦλθεν ἡ βασιλεία, καὶ ταῦτα τῆς ὀρθῆς ὁδοῦ τῆς περὶ τὰ θεῖα τραπεὶς καὶ τῶν Χριστιανῶν ἑλομένος πίστιν... (ZOZIM., IV, 36.)

(2) Συνεχῶς δὲ καὶ τοὺς βασιλεῖς τῇ ἱστορίᾳ περιλαμβάνομεν, διότι ἀφ' οὗ Χριστιανίζειν ἤρξαντο τὰ τῆς ἐκκλησίας πράγματα ἤρτητο ἐξ αὐτῶν καὶ αἱ μέγισται σύνοδοι τῇ αὐτῶν γνώμῃ γεγόνασί τε καὶ γίνονται. (SOCRAT., *Hist. eccl.*, lib. V, in procemio.)

et præcipue à Bimardo fere exhaustam, quoniam intra arctiores fines contraximus, plenius tractari posse credidimus. Scilicet legibus, et rescriptis Constantini, et qui ad eum pertinent titulis diligenter excussis, expendimus quo se Constantinus modo in gentiles gesserit, persuasum habentes ex hac investigatione tantum manifestam rem de qua agitur, futuram esse.

Satis erit si jam, quod nos assecutos esse confidimus, hic brevissime complectamur.

Constantii patris exempla, cujus æquanimitate, dum cæteris in provinciis propter religiones turbaretur, Galliæ tranquillæ et prosperæ manserant; temporis hujusce intelligentia, quo ipsa paganorum multitudo illatas christianis vexationes explodebat, et pacem ipsi Christo petere videbatur; veterum negligentia deorum; publicæ utilitatis respectus; concepta in persecutores eosdemque imperii æmulos odia; ad hæc forsan debita christianorum corpori gratia, qui, iis quibus poterant opibus Constantino in Italiam contra Maxentium pergenti, faverant : illæ sunt, meo quidem judicio, edicti Mediolanensis causæ, quo christiani pacem et libertatem non continuo imperium adepti sunt.

Ab hoc edicto usque ad defunctum Licinium, haud scio qua mente Constantinus veteres religiones coluerit, at certe eas, quin veteri de more publice fierent, minime vetuit.

Quinque leges de sacris gentilium rebus Constantini citavimus e quibus apparet eum veteris cultus judicem et moderatorem, id est Pontificem Maximum egisse, nisi quis contendere velit Pontifici Maximo observare non licuisse, ne quid contra leges fieret, omnesque ritus, quicumque essent, probatissimos habere eum debuisse. Cum vero privatæ haruspicinæ usum, et occulta sacrificia, et maleficia, et veneficorum fraudes prohiberet Constantinus, sacra vetera tuebatur et romanæ religioni consulebat, nedum eam everteret, uno verbo Pontificem Maximum agebat. Cum vetaret ne quis christianum invitum ad sacrificiorum lustra compelleret, libertati Mediolani datæ invigilabat, nec erat sane Maxentii victoris, nec Pontificis Maximi, iis quibus sacris publicis abstinere ex legibus permittebatur injuriam exhibere, aut illatam pati.

Ex nummis vero et titulis, ut vidimus, Constantinum clare

apparet Pontificis Maximi nomine usum esse, et a publica religione, non dico mente, at reipsa non fuisse alienum.

Exstincto Licinio, mens forsan Constantini mutata fuit, non vero ejurata Pontificis Maximi auctoritas, si modo legibus et inscriptionibus aliqua fides adhibeatur.

Id comprobat lex de publicorum operum ædificationibus; comprobat et datum Hispellatibus rescriptum; id etiam duæ leges confirmant sub finem regni editæ, quibus sacerdotes et flamines pristina curialium munerum immunitate in perpetum frui jubentur. Præterea jussum fieri Constantinopolis Fortunæ simulacrum et institutas in futurum celebrandasque quotannis in nova urbe solemnitates.

Quæ omnia certe Pontificatum Maximum non sine honore nomen Constantino fuisse demonstrant. Cui quidem rei fidem etiam tituli firmant, quoniam anno 328 Constantinus Pontifex Maximus semel atque iterum inscribitur. Nec repugnant nummi, quanquam non ita juvant, cum veterum deorum nomina et effigies, excepta Fortunæ urbis Constantinopolis imagine, in moneta non jam reperiantur. Nempe in extrema regni sui parte Constantinus, etiamsi Pontificis Maximi nomen retinuerit, et pontificia auctoritate interdum fuerit usus, nec unquam veteres aperte religiones prohibuerit, in christianam tamen doctrinam animo proniore inclinare visus est.

Tenacior auctoritatis suæ Constantinus et ferociori ingenio erat, quam ut aut æmulos ferret, aut quoslibet imperii socios; nec alia sine dubio est, si ad rem ipsam attendas, susceptorum vel contra Maxentium vel adversus Licinium bellorum causa, quæ non, nisi his sublatis, exitum habuere. Quum is igitur hujusmodi esset, simul atque oppressos antea christianos in gratiam reciperet, et pacem iis ac libertatem concederet, non ita sibi dissentiebat, ut civitatem in civitate fieri pateretur, quæ sui juris omnino et extra ipsius ditionem posita, se ad arbitrium et suis legibus regere posset. Ita vim imperii debilitari graviter et infringi persuasum habuisset, et imperatoris majestatem imminui; cui rei, si quis alius unquam, Constantinus certe non acquievisset. At contra, redactis in ordinem christianis, et factis, ut ita dicam, clientibus, et penes impe-

ratorem in omni re positis, imperii auctoritas in immensum crescebat. Neque tunc vel cœperat qui invaluit usus postea, *spiritualia,* ut dicitur, et *temporalia* secernere. Omnes retro principes et civilium et sacrarum rerum potestatem summam habuerant, et cum civili imperio imperium in religiones ita conjungi et misceri visum erat, ut Pontificatus Maximus qui usque ad Pupieni et Balbini tempora in unius manu fuerat, tum inter hos duos principes divisum fuerit, iique simul et Augusti et Pontifices Maximi creati fuerint. Itaque, quanquam Constantinus christiano *lavacro* nondum *imbutus* nec reipsa christianus erat, post victum tamen Maxentium, nec tanquam rem alienam invaderet, sed quasi rerum suarum arbitrium exercens, Ecclesiæ gubernacula, non ut princeps modo, sed ut rex tractavit, ratus nimirum, ad se, Pontificatus Maximi jure, de quo nemo ipsi controversiam faciebat, et gentilia et christiana sacra administrandi potestatem pertinere.

Nullus profecto ex christianis hujus sæculi vel posterioris Constantinum Pontificem Maximum appellavit sed quamdiu vixit, ab anno saltem 313, omnes clerici et ipsi episcopi, cum èo, tanquam cum Pontifice Maximo gessere, et ipse ita se adversus ecclesias gessit, tanquam esset moderator, arbiter, judex et revera Pontifex Maximus.

Quod ut manifestum esse appareat, duas quæstiones attigimus penitus ecclesiasticas; alteram nempe, quæ in Occidente, et in Africa præsertim paulo ante exorta, circa annum 313 acrius efferbuit; alteram, quæ eo tempore mota, quo Licinius victus et imperio exutus Thessalonicæ degebat, mox Orientem totum pervasit, nec cum ipso Constantino extincta est: neque in exponendis harum rerum vicibus alia ac ecclesiasticorum sriptorum testimonia adhibuimus.

In utraque autem quæstione Constantinum vidimus ita primas agentem ut nec superiorem ferat nec parem.

Quonam vero nomine Constantinus, nisi Pontificali, ea quæ memoravimus episcopis vel ecclesiis scripsit, de hæreticis sanxit, concilia convocavit, civilium judicum in rebus ecclesiasticis arbitrium interposuit, ad se factas ab episcopis provocationes recepit, partes adversas per se ipsum judicavit, hos

ad episcopalem dignitatem designavit vel promovit, hos de sede dejecit, de doctrina ipsa christiana cognovit, Arium modo damnavit, modo absolvit et bonæ esse mentis declaravit, jussitque ut in Ecclesiam reciperetur, Athanasium haud semel ad se accessivit, judicavit, ab episcopatu demovit?

Quod ut verum esse contendimus, ita jure factum esse non continuo arbitramur.

Et agebat, ut videtur, constanter qui suarum esse partium existimabat, eas res, in quibus erga numen divinum reverentia continetur, componere et ordinare; qui episcopis scribebat per se multos barbarorum christianos factos esse et in dies fieri; qui Eusebio mandabat ut sacros codices describendos parandosque curaret, qui unam et eamdem religionis formam in omnibus regionibus sub ditione sua positis, a se institui posse somniaverat; qui ut Moshemius tradit, nec acquiescere ausim, nec infitiari, christianam Ecclesiam ad novam Reipublicæ formam accommodabat, novosque honorum gradus inter episcopos ita instituebat, ut civilium honorum gradibus responderent (1).

Leges etiam et constitutiones et rescripta imperatoris Constantini, ab eo demonstrant ea, quæ ad Ecclesiam pertinent,

(1) « Ad quam novam Reipublicæ constitutionem quum Ecclesiam haud una de causa vellet accommodare, novos etiam honorum gradus inter episcopos nasci necesse erat. Principes episcoporum erant qui antea jam supra reliquos antistites eminuerant, Romanus, Antiochenus, Alexandrinus; quibus, sede imperatoria Constantinopolim translata Constantinopolitanus accedebat. Hi præfectis pretorio quatuor a Constantino creatis respondebant, et forte hoc jam seculo vocabulo Judaïco Patriarchæ dicebantur. Hos excipiebant Exarchi qui civilibus exarchis pares erant, pluribusque provinciis præpositi erant. Proximo loco Archiepiscopi erant quibus tractuum quorumdam procuratio commissa erat. Agmen Episcopi claudebant, quorum fines non æque late ubique patebant. His Chorepiscopos adderem, seu cœtuum in agris commorantium præfectos, nisi scirem antistites amplificandæ potestatis suæ cupidos, providisse, ut hic ordo plerisque in locis abrogaretur. » (Mosh., *Inst. Hist. eccl.*, p. 156.) Socrates Patriarchas, imperante Theodosio creatos fuisse significare videtur. (Socrat., *Hist. eccl.*, v, 8.)

sæpenumero directa, correcta, jussa aut vetita fuisse, veluti a supremo rerum omnium sacrarum magistro et præside. Denique inter christianos ita se gessisse in omni re Constantinus videtur, tanquam vetus Pontificis Maximi titulus, qui imperatoriæ potestati adnexus erat, summum includeret in christianorum ecclesias regimen atque imperium. Nec ullus christianorum huic imperio repugnare et infitiari ausus est, ut, et ipsi gentiles, quamvis moleste ferrent Constantinum a sacris majorum institutis magis in dies alienum fieri, eum tamen Pontificem Maximum appellare atque jus illi nomini inhærens pro rato habere non dubitabant.

Postremo, si quidquam Eusebio creditur, non Constantinus res in Ecclesia gravissimas tractare et regere satis habuit. Nempe, quasi posita imperii majestate, ad ipsa Pontificis christiani officiorum momenta descendere solebat. Congregata in palatio vel in ecclesiis populi multitudine, princeps ipse christianas preces alta voce præibat; ipse sacrarum scripturarum locos interpretabatur et explanabat; ipse præsentium animos cœlesti disciplina imbuere atque informare, nec sine grata populi acclamatione, conabatur; ipse falsas paganorum de diis opiniones refellere et de christiana theologia meditate in publicum philosophari ac disputare studebat (1). Quæ omnia, seu vera sive falsa putes, certe ad hominem nondum rite christianis sacris initiatum, necdum etiam catechumenum, non pertinebant.

Nunc, ut quæ omnia disserui brevissime recognoscam : hoc pro vero habendum arbitror Constantinum imperatorem quod ad paganos spectat, Pontificis Maximi et nomen retinuisse, et auctoritatem, excepta cærimoniarum procuratione, exercuisse. Neque eum hunc titulum, hanc auctoritatem servasse concedo ea mente, quo facilius vetera instituta et deorum religiones aboleret, ut quidam paulo acutius excogitavere. Nempe ea sacra quæ forsan aspernabatur et irridebat, et a quibus animum paulatim abduxisse videtur, nec vetuisse, nec sustulisse, nec immutasse quidem Constantinum puto, nisi quis malas venificorum artes et flagitiosas fraudes, quæ sub religionis specie

(1) Euseb., *Vit. Const.*, iv, 27, 29, 33.

nonnullis in locis fiebant, quibusque per leges obviam iit, a publicis solemnitatibus non velit secernere.

Quod vero ad christianos spectat, Pontificatum Maximum a nullo magis alienum fuisse fatendum est, quam ab eo, qui christiani lavacri, non nisi, quum jam moriendi tempus urgeret, particeps esse voluit, et nescio qua christianorum sacramentorum incuria aut negligentia, usque ad extremum prope vitæ diem, extra christianorum communionem mansit. Attamen si quis, citra ipsam principis de rebus divinis conscientiam, ad partes eas, quas in ecclesiasticis rebus egit, animum voluerit advertere, legesque et constitutiones et rescripta ejus attente persequi, facile agnoscet eum inter christianos pro Pontifice Maximo se gessisse, auctoritatemque, quam ei christianorum suffragia non dederant, reipsa exercuisse.

ERRATA.

Pag. 11, lin. 8, *pro* multi etiam, ut, conjici potest... *lege* multi etiam, ut conjici potest...

Pag. 17, lio 25, *pro* Pontificis Maximi, nomen usurpabat... *leg.* Pontificis Maximi nomen usurpabat...

Pag. 18, lin. 23, *pro* veterum fabulis veledixisse... *leg.* veterum fabulis valedixisse...

Pag. 23, in ultima linea, *pro* animam exhalasse, quamvis... *leg.* animam exhalasse. Quamvis...

Pag. 45, in ultima linea, *pro* AB IPSA JUVENTUTE PERFUNCTO... *leg.* AB IPSA JUVENTUTE PERFUNCTUS...

Pag. 48, lin. 26, *pro* EXTITITIS... *leg.* EXTITISTIS...

Pag. 50, lin. 20, *pro* aono 336... *leg.* anno 326...

Pag. 53, lin. 8, *pro* Constantii et Constantii... *leg.* Constantii et Constantis...

Pag. 54, lin. 29, *pro* Apollinis Delphici tripoden... *leg.* Apolliois Delphici Tripodem...

Pag. 55, not. 2, *pro* σπινθῆρακακῶν... *leg.* σπινθῆρα κακῶν...

Pag. 58, lin. 16, *pro* oempe ea verti... *leg.* nempe ea everti...

Pag. 64 lin. 8, *pro* aut consolatus mcotio decst quo... *leg.* aut consulatus mentio deest, quo...

Pag. 69, in ultima linea, *pro* oec cessantibus Dooastitis... *leg.* nec cessantibus Donatistis...

Pag. 64, lio. 16, *pro* inter ducentos aut ampluis... *leg.* inter ducentos aut amplius...

112

INDEX CAPITUM.

PROOEMIUM. Quid novissime sævierint in Christianos Romani Imperatores, quid contra iisdem ab edicto Nicomediensi usque ad edictum Mediolanense concesserint (303-313) 7

PARS PRIOR.

QUALEM SE GESSERIT ADVERSUS GENTILES CONSTANTINUS.

CAPUT I. Ab edicto inde Mediolanensi ad defunctum Licinium (313-324) 28

CAPUT II. A defuncto Licinio usque ad Constantini mortem (324-337) 40

PARS POSTERIOR.

QUALEM SE GESSERIT CONSTANTINUS ADVERSUS CHRISTIANOS.

CAPUT I. Ab edicto inde Mediolanensi ad defunctum Licinium (313-324) 66

CAPUT II. A defuncto Licinio usque ad Constantini mortem (324-337) 85

CONCLUSIO 102

112

Ouvrage du même auteur :

ESSAI DE CRITIQUE RELIGIEUSE

DE L'APOLOGÉTIQUE CHRÉTIENNE AU IIe SIÈCLE.

SAINT JUSTIN PHILOSOPHE ET MARTYR.